De Concilijs

ET ECCLESIA, LIBER, Germanicè ſcriptus iam olim à Reuerendo patre D.D. MARTINO LVTERO: nuper uerò Latinè redditus, per D. IVSTVM IONAM ſeniorem, Theologiæ Doctorem: cum gemina Præfatione ad Sereniſsimum Regem Daniæ, &c.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.

SERENISS. ATQVE Illuſtriſſimo Principi ac Domino, D. CHRISTIANO Daniæ, Noruuegiæ, Sclauorum & Gottorum Regi inclyto: Duci in Schleſuuik, Holſatia, Stormarn, & Ditmartſchen, Comiti in Oldenburgo & Delmenhorſt, Domino ſuo Clementiſſimo.

INCLYTE & Sereniſsime Rex, annus eſt, cum Reuerendus uir D.D. Iuſtus Ionas, breui ante obitũ ſuum, hanc uerſionem Latinam, eruditiſsimi & grauiſsimi libri D.M. LVTHERI, theologi incomparabilis, de Concilijs et Eccleſia ad me mitteret: petẽs à me, ut quia properata eſſet redditio, necdum perfecta ſatis, manum ego ſupremã admouerem, ut emen-

datus exiret. Scire enim se, Regem Serenißs. Daniæ, in cuius gratiã uertisset, magna cum uoluptate in hac lingua lecturum librum Luteri de Concilijs. De hac re, quo desiderio ad me sæpißime scripserit, si Regiæ tuæ Maiestati cõmemorare uelim, perlongũ foret. Nam haud scio, an pius & bonus senex, tristißimo conflictans morbo melancholico, ullam rem ardentius desiderarit, quàm hanc editionem, cum in hanc sententiã frequentißimè ad me scriberet: Quęso te, mi Basili, mi affinis, matura editionem libri de Ecclesia & Concilijs: ac cura, ut quàm scitißima pictura descriptus exeat. Item: Da operam, quam quidem potes celerrimam, ut liber de Concilijs cum præfatione ad Maiestatem Regiam quamprimùm prodeat, &c. Est enĩ mihi relatũ ex aula illustrißimi Principis AVGVSTI Electoris, gratißimum futurum Regi, si sub nomine suæ Maiestatis hic liber legetur Latinè,

tinè, &c. Eiusmodi, & similia, usque ad summum tædium, in omnibus literis, quas ad me, cum quidē indies æger decumberet, permultas scripsit, mihi mandauit. Sed nescio quî fiat, ut quæ sæpe uehementius & cupidius desideramus et expectamus, serius interdum, aut nūquam etiam assequamur. Inter hæc enim desideria Reuerendus senex, ex hac uita paulo pòst euocatur, in Septembri anni 1555. sic ut eius cōspectu, quod tāta cum solicitudine & efflictim ur serat, ac tantum non dormiens somniarat, frui non potuerit.

Ego igitur, qui hoc officij debere me ei pietatis nomine existimabā, etiam cum diem suum obijsset, tamē maturare hoc Opus, & ad editionē præparare, animū ilico induxi meū, ut quod uiuus D. IONAS tantopere sibi contingere optarat, post mortem saltem nomen & memoriā eius illustraret.

Sed quid fit? Dum in manus e-

xemplar ſumo, obiter tantū ad Germanicum pagellas quaſdam collaturus, animaduerto pleraq; opus habere accuratiſsima emendatione. Siue enim Reuerēdus ſenior morbo graui & lethali impeditus, aliorū interdum uſus erat in uertendo opera: ſiue qui deſcripſerant, negligenter id fecerant: permulta certè offendi deprauatiſsima. Quæ dum reſtituere ſtudeo, collatis ad Germanicum ſingulis ſyllabis, factum eſt, ut ſerius in publicū prodierit, & nunc demum ad Regiam tuam Maieſtatem tranſmittatur: cui hoc Opus eo nomine & gratius & commendatius eſſe debet, quòd ultima uoluntate, quam ſanctam eſſe perhibent, quaſi teſtamento legatum, pius et uenerandus ſenex exhibendū tibi religioſe mandauit, & curauit: ſicut & in maxima ueneratione Regiam tuam Maieſtatem ſemper, quòd ſcio, habuit, & reuerendiſsimè coluit. Accipe igitur, Sereniſsime & Chriſtianiſsime

Rex,

Rex; postremũ hunc laborem Doctoris pij & reuerendi: teq; illũ præbeas non inuitum, sub cuius autoritate, patrocinio & exemplo, multi legant utilissimum hunc librũ: quo nescio an in eiusmodi argumẽto & genere scribi potuerit unq; quicquã grauius. Ita enim, quid, & quantum Concilijs omnium temporum tribuendum sit, ex ueris causis explicat, ut iudicio sinceriori & incorruptiori hoc argumentum tractari nõ potuisse, legẽs quisq; ingenuè profiteri cogatur. Taceo, quòd historiam quatuor illorum generalium seu principalium Conciliorum, tam narrat eruditè, & cogitatè, ut ex breui eius narratione multo plura percipias, & certiora, quàm ex prolixis aliorum, ac præsertim Pontificiorum historicorum commentarijs. Vbi enim illic perlecta tota cõmentatione de aliqua Synodo, tamen uix animaduertere potes, quis fuerit status, & summa principalis contro-

uersiæ in synodo agitatæ: hic lectis uix aliquot lineis, ita de summa totius controuersiæ admoneris, ut in synodum quasi præsentem, & sententiarum collationẽ deduci tibi uidearis. Exemplo sunt controuersiæ, quas mouerũt Nestorius & Eutyches, alter in Concilio Ephesino, alter in Chalcedonẽsi: quarum summam & discrimen, ex omnibus Pontificum historijs & decretis, lector ne quidem attentus unquam intelliget: at hinc facilè assequetur.

Magnum igitur quiddã est, hæc erudita, succincta, & candida narratio. Sed non inferius, aut minus, & illud ipsum, quod in illis narrationib. obiter simul explicat et illustrat multos grauissimos locos religionis, & doctrinæ Christianæ. Instruit & in multis politicis, ut in explicatione prioris Concilij Niceni de militia. Quæ in præstanti narratore, uirtus præcipue commendatur, si scilicet nõ nudas solum, & ieiunas de rebus

texat

texat admonitiones: uerùm etiam de rebus utilib. & necessarijs simul doceat, nec delectare magis quàm prodesse cogitet.

Locum denique de Ecclesia, quę sit, ubi sit, quæ sint eius interiores ac exteriores uerissimę notę, ita in hoc libro LVTERVS tractat, ut legẽs illa, tractatione nõ possit non uehementer affici, & consolationem inde dulcissimam atque efficacissimam percipere: dum Ecclesiã ueram admonetur esse non Romanam illam colluuiem & sentinam, quæ Ecclesiæ titulum iamdudum ui sibi arrogat: sed quemcunque cœtum, in quocunque loco, habentẽ incorruptum uerbum Dei, baptismũ, cœnam Domini, usum clauium, ministrorũ uocationem, orationẽ, atque externam illã notam (Ecclesiæ indiuulse propropriam & perpetuam) crucem. Hæc enim signa infallibilia sunt, ex quibus de Ecclesia iudicari omnib. temporib. potest: ac quę nobis Con

cilij loco sufficienter esse possunt, quamdiu liberum, Christianum, integrum, non suspectum Concilium frustra expectatur.

Hæc, & alia salutaria multa, in hoc libro, Regia tua Maiestas leget, nõ sine magna, ut D. Doctor existimauit, & delectatione & fructu. Effice igitur Rex pijssime & serenissime, ut gratum R. T. M. sit munus, quod gratissimum & optatissimum tibi futurũ reuerendus senex D. D. IONAS perpetuò, ac moriẽs etiã, sibi constantissimè persuasit. R. T. M. Dominus CHRISTVS, ut organum Ecclesiæ ac Reipub. utile & salutare, regat & seruet: Amen. Calend. Octobris, anni Christi 1556.

R. T. Maiestati deditiss. & obsequentiss. Basilius Faber Soranus.

SERE-

*SERENISS. AC IL-
luſtriſs. Principi ac Domino, D. CHRI
STIANO, Daniæ, Noruegiæ, Scla-
uorum & Gottorum Regi, Duci in
Schleſuuick, Holſatia, Stormar et Dit
marſchen, Comiti in Oldenburgo &
Delmenhorſt, &c. Domino
ſuo clementiſsimo.*

SEreniſsime & inuictiſsime Rex, Domine et patrone clemẽtiſsime, iam per tot annos, inde à primis temporibus curſus Reuerendi D.D. LVTHERI, curia & eccleſia Romana, omni genere ſceleris plena, penè ipſa ſeſe accuſat: negatq́ ſub ſole tantam auariciam, tam exaggerata flagitia, tam uanam turpitudinem amplius poſſe tolerari: ſemper in aulis regũ & principum ſermones ſparſi ſunt, & maximæ querelæ fuerunt, ad ſy-

nodos cunctãter procedi, sine Concilio generali rebus consuli nõ posse, remedia nulla alia his morbis inueniri posse: festinandum igitur, ut Christiana libera & erudita synodus congregaretur. Atq; hæc cogitatio & aureum somnium in hunc diem exercet multos, si synodus generalis indicta celebretur, tum omnia subitò habitura melius, optima tempora futura, omnes ex Ecclesia sordes repurgari posse, &c. sed de his rebus & concilijs indicẽdis, longè aliter iudicauit Reuerẽdus uir D. M. LVTHERVS. sentit enim bona ex parte ibi, cum uiro doctissimo, et ueritatis amãtissimo, Gregorio Nazianzeno, qui scribit, post conuentus & synodos inter Episcopos, nõ sublatas, sed semper creuisse discordias, æmulationes & nocentissima dissidia: eo quòd posthabita puritate & sinceritate uerbi Dei, suam gloriam quadã ambitionis rabie quæsierunt: id quod de multis synodis

magna frequentia Epiſcoporum ce
lebratis, in hunc uſque diem queſti
ſunt docti & pij homines. Deinde
Reuerēdus D. LVTHERVS in hoc
ſuo libro eruditiſs. de Concilijs ue-
hementer miratur, Cæſarem, poten
tatus, principes & reges, poſt tam
uariam tergiuerſationem & procra
ſtinationē Pontificis Romani non-
dum uidere, quàm illę cogitationes
de ſynodo Chriſtiana & libera à Pō
tifice & Cardinalibus impetranda,
prorſus ſint uanæ & inanes. Nam ſi
Papa & carnaliſsimi Cardinales, ha-
ctenus fideles œconomi fuiſſent in
Eccleſia: id eſt, ſi puram doctrinam,
ut Paulus uocat ὑγιαίνουσαν διδαχὴν,
ſummo ſtudio, iuxta Chriſti & Apo
ſtolorum mandata, conſeruare, tue-
ri & defendere conati eſſent: forſan
etiam Chriſtianam & liberam ſyno-
dum, tam grauibus & acribus certa-
minibus de religione, in tot regno-
rum Eccleſijs incidentibus, non de-
negarent Cæſari & Regibus; & mi-
nus

nus ibi miſcerent fraudum, doli, & ſimilis fermenti phariſaici. Cum autem œconomi parum fideles inuenti ſint, & conſcij ſibi trepidẽt (ut Eſaias inquit) ſe eſſe ſocios furum, & ut CHRISTVS ait, fures ac latrones, ac iuxta S. Stephani querelam, homicidas & proditores ueritatis, qui ſemper furenter reſtiterunt manifeſtæ & agnitæ ueritati & ſpiritui ſancto: citius in medio foro Romæ ſe diſcerpi patiẽtur, quàm ut ferant aut conſentiant, liberam & Chriſtianam Synodum frequenti cœtu eruditorum aut piorum unquam celebrari. CHRISTI & Apoſtolorum grauiſsima extant teſtimonia, de reuelatione uerbi, & æternæ ueritatis Dei: Lux uenit in mundum, & dilexerunt homines plus tenebras ꝙ lucem. item: Qui malè operaſ, odit lucem. Hæc ſentẽtia & uox CHRISTI multis annis impleta eſt in Pontifice, pſeudoepiſcopis, & occæcata Roma, An igitur unquã credẽdum

eſt,

est, ut præsens hæc corruptissima Roma (quæ palàm fatetur, in ea urbe nihil haberi pro peccato, nisi nõ habere pecuniam) cum istis suis cœptis & factis, per ullam Synodum ferat censuram aut emendationẽ morum, aut patiatur se pertrahi è suis tenebris ad lucem ? Simulabunt quidem, ut sunt homines perditæ & impudentissimæ hypocrisis, se indicturos concilium, ut fucum faciant Imperatori & regibus: sicut & ante aliquot annos per illam fatuam bullam, et nihil quàm spumã et bullam, indictionem synodi suo quodã Romanensi consilio auspicabantur, uoce illa exultabũda (Lætare Hierusalem) cum nihil minus in animo haberent, quàm cum uera Ecclesia aut Hierusalem lætante se coniungere.

Extat libellus D. Philippi ualde eruditus, & gemẽs utilissimam & mirificam doctrinam incognitam uniuerso, inde à prima origine sua, Romano, imò barbarico Papatui: cui titulus

tulus est, Causæ quare homines docti & pij in Tridentinam Synodum aut eius decreta consentire nō possint. In illa pulcherrima disputatione, cui nō similis est in rancidis commētarijs Canonistarū, monachorū aut Papæ, licet clarè uidere, quàm planè certum sit, Pontificem Romanum non laturum ullum pium & liberum conciliū indîci, nisi primùm cum suis Carnalibus sciat, se ita accuratè & circumspectè subædificasse negociū hoc in tota Ecclesia, ut omnes, minimos maximos, obstrictos habeat, nihil mutaturos de hac pulchella forma Ecclesiæ, quæ nunc est Romæ, & in toto prophano Epicureo tractu miserè seducti Latij: ac nisi in omnibus terris & regnis iuratos habeat, nō immutaturos impias idolomanias & ceremonias Romanæ Ecclesiæ, sed potius aucturos, & quàm acerrima sua dimicatione cōseruaturos ad omnem longè posteritatem: nihil inquam mutaturos in ul

lo ge-

lo genere cultuum idolomanico=
rũ. Et quid opus est rhetoricatione,
aut multis uerbis? Hic ipse libellus
Reuerendi D. LVTHERI, quem
sub manibus habemus, satis apertè
profitetur, quę in Ecclesia ex spiritu
sancto secundũ Biblicam ueritatẽ,
sincera & libera Concilia grauiter
& piè celebrata sint, quæ nõ nouos
articulos fidei procudere, sed uete-
res illos tueri & conseruare studue-
runt. Aliæ omnes synodi quæ pòst
sequutæ sunt, inde ab ætate & pri-
ma synodo Apostolorum, tetros &
intolerabiles errores habuerũt: ple-
ræq; approbarũt articulum fœdum,
Missam esse sacrificium pro uiuis &
mortuis: item, Inuocationẽ sancto-
rum, cœlibatum sacerdotum & mo
nachorum. & paucissima sunt conci
lia, quæ non uirginitatem in cœlum
laudarint, coniugium extremè con-
tempserint & deformarint. Nostra
ætate duo grandes Tomi (operam
ibi strenuè nauantibus monachis)

excuſi ſunt typis Coloniæ, in quibus reperiũtur plurima decreta ſtulta & tyrannica: ſi ſecundum hos Tomos Conciliorum in grauibus articulis ſententia ferenda eſſet, nihil eſſet Eccleſia miſerius. Rectiſsimè igitur Reuerendus D. LVTHERVS iudicat & pronunciat: In præcipuis articulis doctrinæ CHRISTI nihil opus eſſe Concilijs, ſynodis pompaticis, aut iudicio hominum. Nam doctrinam CHRISTI ſolam puram, ueram & ſinceram, in Propheticis & Apoſtolicis concionibus de iuſticia fidei, gratuita remiſsione peccatorũ, ſolidis firmiſq; teſtimonijs ſcripturæ fundatã eſſe: adeò ut CHRISTVS ipſe filius Dei Eccleſiæ doctrinam & confeſsionem uocet inuictã, & portis inferi inexpugnabilem petram. Deinde in qualibet S. Pauli Epiſtola, etiam breuiſsima, ut ad Titum, uel ſimili, comprehẽſum eſt integrum corpus doctrinæ. Ad hæc, & præcipuæ uoces, lex, pecca-

tum, gratia, remiſsio peccatorum, iu ſtificatio, in quibus tota uis ſita eſt doctrinæ Chriſtianæ, penè numero poſſent comprehendi: adeò ut quilibet pius, qui ſeriò inquirit ueritatẽ κατὰ τὸ ῥητὸν καὶ διάνοιαν, facilè aſſequi poſsit, quid S. Paulus uelit. Quilibet ergo pius facilè & prolixè fatebitur, in Prophetarũ ſcriptis, & Apoſtolorum, in actis & cõcionibus, tam clarè firmata eſſe teſtimonia de infallibili & iucundiſsima ueritate Dei, quid uerum, quid falſum ſit, ut decreta omnium uetuſtiorum Conciliorũ nihil amplius ſint requiſitura. Non ergo expectamus, aut quærimus Synodũ: ſed precamur, ut Eccleſia ardentius oret, ut diligẽter legamus prophetica et apoſtolica ſcripta. Nullus enim alius eſt uſus Conciliorum, quàm ut articulos fidei & decreta ſapiẽtiſsima Spiritus ſancti iam ante omnes Synodos condita, defendant & cõſeruent. Legitur in hiſtoricis, quòd inde à Chiliano, pri

mo episcopo Herbipolēsi, LXIIII fuerint episcopi Herbipolenses, usque ad D. D. Melchiorē, qui nunc præest, inter cæteros uirum senem & reuerendum, qui trium Cæsarum fuit Cancellarius: & quòd ad Romanos Papas attinet, inde à Phoca, qui corruptelas introduxit (ut Historici testantur) ultra CLXX Papę fuerūt, plus minus. Si igit̃ in tam magno numero tres aut quatuor fuissent Apollones, potentes in scripturis, aut Lutheri similes, utilius longè fuisset Ecclesiæ, q̃ si sub singulis aliquot essent celebrata Concilia. Vetus est & recepta cōsuetudo, uti Papa, Cardinales & Episcopi, initio synodorum celebrent Missam de Spiritu sancto, atq; ut auspicentur sua concilia non sine magna idolomania et uaria missatione de spiritu sancto. Ideo sæpe à pueris derisi sunt. In concilio enim illo crudeli & sanguinario Constantiēsi, in quo Ioan. Hus crematus est, in templo summo

mo à quodam puero affixa eſt ſchedula, ſub nomine ſcholaſtici, aſcriptis his uerbis: Inanes eſſe tot clamores, & cantionē illam, Veni ſancte ſpiritus, fruſtra ingeminari. nam Spiritui ſancto planè nunc non eſſe ueniendi ocium: nunq̃ enim fuiſſe occupatiorē audiēdis precibus afflictorū, cum iam Ioan. Hus lachrymas fundat in carcere. Qui paulo diligentius leget & expendet decreta Conciliorum, inueniet quàm de leuis momenti articulis adducto ſupercilio deliberēt, non aliter ac Pharisæi de abluendis ante cibum manibus. In concilio Gangrenſi (ni fallor) & alijs, quæ autoritatis magnæ habentur, mota eſt quæſtio, An calicibus ex ſtanno aut orychalco uti liceat. Verùm de impio cœlibatu, de idololatrica miſſa, de monaſticis infinitis ſuperſtitionibus, de peregrinationib. ad S. Iacobum, de tam uarijs idolomaniacis cultibus Mariæ, nulla in Concilijs accurata agi-

tur censura. Circũferunt stultissimi libri monachorũ, omnib. anilib. fabulis nugatiores, De pueritia Christi, de conformitate uitæ Christi & Francisci, de Cherubica & Seraphica reuelatione, de stigmatib. S. Francisci: ex quibus non aliter, atq; ex sese araneus telam, infinita finxerunt mendacia, de signis & miraculis quibus Rosariũ B. Virginis cõfirmatum est. Ad errores tot & tantos ex Ecclesia extirpandos, forsan mediocres Synodi usui esse possent. Sed Episcopi cauponãtes uerbum Dei, nihil in illo cõuentu emendare studuerunt: existimantes turpissimam esse impietatẽ. Ac Romanus Pontifex ne nunc quidem eò perduci potest, ut fateatur turpes esse nundinas suarum uenalium indulgẽtiarum. Multi errores manifesti (qui maculæ & labes sunt totius Ecclesię) defenduntur apud Ecclesiã Romanam pertinacius, quàm apud ullos barbaros populos. Quid enim

fœdius excogitari poteſt, ꝙ quòd Papa arrogat ſibi titulum prodigioſum, Epiſcopi generalis totius Eccleſię? S. Paulus inquit, rem arduam & difficillimam eſſe, uel unius congregationis præeſſe curę & ſolicitudini. Hic iam quæritur (inquit) ut fidelis quis inueniatur. Contra eiuſcemodi & ſimilia impia decreta Conciliorum, audiri debebant illa horribilia fulmina: Qui audet ſe nominare Epiſcopum generalem multarum Eccleſiarum, aut totius Eccleſię, hic anathema eſto. Rectiſsimè igitur & ſapiēter factum eſt à ueſtra Regia maieſtate, quòd in terris inclyti regni Daniæ pro aliquot pompaticis & impijs Epiſcopis, tantum fluxas opes & gloriam captātibus, ſurrogari fecit uerè doctos & pios homines, potentes in ſcripturis ſanctis. Hactenus enim, ut teſtantur decreta Conciliorum, Papa ſuperbiſsimè ſibi arrogauit ſupremam poteſtatem in Synodis. hic ſuos mona

chos, ſimiles ſatellites, deuinctos ac iuratos habuit, ut ſalutaria decreta omnia uel eluderent, uel euerteren tur clamoribus his furioſis, Papam eſſe ſupra Conciliũ. Hinc carnales Romanæ eccleſię profaniſsimi, om nia ad hoc inſtructa habuerũt, ut au toritatem Pontificis redderent fir- miſsimam & omnipotentem, & ut per numerum ſuffragiorũ callidè oc cultaretur ueritas, opprimeretur pu ra doctrina. Verùm non in numero Epiſcoporum ſua quęrentium, non in uerboſis decretis ſita eſt autori- tas Conciliorũ: ſed ut ſint conſenta nea Propheticis & Apoſtolicis ſcri ptis. Eiuſcemodi ergo Synodi lau dandæ, & pro Chriſtianis habendæ ſunt, quę per uerè pios et doctos ho mines, eruditos in linguis Græca, Hebraica, Latina accuratiſsimè in- ueſtigant & quærunt ueritatem: & aurificis libra ueritatem ab impoſtu ris, pręſtigijs & erroribus diſcernũt: non quæ mendacibus & fucatis a-

ctioni-

ctionibus ſcientes & uolentes obruunt ac ſepeliunt ueritatem: ſicut in hac ſua ſancta lucubratione Reuerendus D. LVTHERVS, præcipua & ſanctiſsima Concilia depingit, non uerbotenus, ſed uerè in Spiritu ſancto congregata. Hunc ergo librum de Concilijs Germanicè initiò ſcriptum, ideo Latinè reddidi, ut reliquæ nationes, quæ Germanicè non intelligunt, noſſe incipiant prophaniſsimam rationem, qua Papa indicit Synodos. Quod opus, cum aliàs utilis lectio eius futura ſit, pro Eccleſiis omnibus rectè inſtitutis: ideo ſub auſpicijs ueſtræ Regiæ Maieſtatis edendum duximus in publicum, ut quo auguſtum & clariſsimũ nomẽ ueſtræ Regiæ Maieſtatis eſt celebrius, eo latius manet & innoteſcat, Pontificem Romanum ore quidẽ & uerbis etiam loqui de cõgregando Concilio generali, &c. ſed reuera noctuæ more fugere lucem, & à cenſura acriori

puræ ueritatis toto animo abhorrere. Veſtram Regiam Maieſtatem CHRISTVS Eccleſiæ & Reipublicæ conſeruet diutiſsimè incolumem.

Sereniſsimæ R. Maieſt. addictiſsimus
Iuſtus Ionas ſenior Doctor.

DE CONCILIIS, ET VERA ECCLESIA, R. D. Martini Lutheri Liber, è Germanico Latinus factus, per Iustum Ionam Seniorem.

SAEPE cùm alijs assidētibus, tum et mihimet ipsi, ualde gratum et ridiculū spectaculū praebuit, quoties uidi quosdam cum canibus ludentes deliciarū causa, porrigere eis cultro supremo affixum panis frustum, hocq; insidiose agere, ut auidè inhiantium canum nares repentè obuerso ferirent manubrio: ut miseri canes non solum fraudarentur cibo, sed et aliud nihil auferrent quàm uulnus & dolorem.

Neq; adeò insulsum aut illepidum est hoc spectaculum. Verùm tunc non uenit mihi in mētem, hoc ridiculum, aliquid posse significare grauium rerum: aut, quòd acerbissimus hostis Dei & piorum Satan nos homines sic sibi ludos facit, & planè habet pro ridiculis & miseris canibus: donec huius rei in sanctissimo Domino nostro Papa, & in illius bullis, libris, scriptis, Synodi indictionibus

bus

bus & prorogationibus, & quotidianis fraudulentis & dolosis practicis, quibus omnes pios & totam Ecclesiam, quasi uilem aliquam canem deludit, exemplum uiderem.

Sed ó DEVS *bone, quantum ibi dat horribilis et immanis damni? quot milia animarum perdit? quàm blasphemè subsannat & deridet ipsum Deum, & æternam illam Maiestatem in cœlis? Sicut & iam fecit, & facere pergit in indicta Synodo sua, quæ iam tot annis, uotis et suspirijs omnium gentium expetita est, & hactenus frustra expectata.*

Inuictißimus et optimus princeps Cæsar CAROLVS *V, unà cum omnib. Electoribus Principibus & Ordinibus Romani Imperij, summo studio, omni contentione hoc nunc totis* XX *annis agunt, ut Christiana Synodus celebretur.*

Sed & illum Papa hactenus mora, qua libuit, exercuit, & spe lactauit inanißima: & frustillum illud panis suarum promißionum fucatißimarũ ostendit tantum. Iam cum ueterator Romanus suam uidet occasionẽ, nares atq; os inhiantis ferit quoq; manubrio: et suauiter ridet, à se delusum derisumq́; propinari Cardinalibus tot regnorum Monarcham.

Tertiò enim nunc sacer & sanctißimus Papa indicit Synodum, seu concilium generale: sed primum

mum paßim in omnes terras & regna mittit Apostolos suos, & mandat religione iurisiurandi, reges, potentatus & principes iuramentis obstringi, quòd uelint perseuerare in colenda Ecclesia Romana. Atqui cum illo cupidè & libenter coniungunt se Episcopi, cum suis Decanis & attactis canonicis, &c. Et iam nunc obfirmarunt se, iam nunc conspirârunt, se nullam passuros esse reformationem. Atq; ita hæc Synodus prodigiosa, sua decreta, suum partum edit, antequam nascatur. Et iam in caussa tanta, lata est sententia, antequã Synodus incipiat. O scelus nefarium.

Decretum illud est, ut omnia maneant in hoc statu, secundum usum & abusum horrendum Romanæ Ecclesiæ hactenus introductum. Est'ne hoc sacrum & bellum concilium? Synodus nondum cœpta est, & iam hoc perficit, quod erat effectura, si inciperetur. Hoc est uerè pro delectamento & ridiculo habere Cæsarẽ, & ferire nares inhiantis bolo canis: & miris artibus longißimè auertere, uenturi ad Synodum consilia Spiritus sancti.

Mihi uerò Luthero hoc in Papa nõ est nouũ. Ego sæpè hoc cogitaui, sæpè etiam scripsi et prædixi, Papã & cardinales plane nõ posse ferre ullũ cõcilium: neq; unquam indicturos ullum, nisi primùm Cæsarem, Reges et Principes obstrictos & in sua

in sua potestate haberent, ut liberrimè pro sua libidine statuere, fingere, facere possent, quæ uellent, ad stabiliendam suam tyrannidem, & opprimendam Ecclesiam CHRISTI duriori iugo, quàm antea unquam.

Sed fiat uoluntas illa uestra: si uos potentatus orbis terrarũ, Cæsar, tot Reges, tot Principes, reliqui potentes libenter fertis, ut eiuscemodi (qui Romæ sunt) scelesti & damnati homines, palàm ἄθεοι & Epicuræi, pro ludibrio uos habeant, religionem ueram & Ecclesiam Christi opprimãt, & inter uos non unum aut alterum, sed uos in uniuersum omnes in os derideant, & ludos sibi faciant: tum & nos hoc ferre cogimur.

Si uestros hostes, hostes Reipub. & Ecclesiæ atrocißimos, ne admoniti quidem uidetis: cogitandum nobis est, quòd nihil noui iam faciunt, sed sui similes sunt, Papa & sui. Longè enim atrociora contrà uos iam olim fecerunt. Nam hostiliter & callidè Regibus insidiari, & è regnis, è solio deijcere Imperatores, & potentes Reges, Cæsares excommunicare, eosdem propriorum domesticorum proditione agere in exilium, & ad faciendũ negocium potentatibus, bellorum horrenda incendia excitare: omnes Principes qui se opponerent sedi Romanæ, omni genere malarum artium impetere, & de medio tollere: omnes mortales, at

que

que uniuersum genus humanum dolis planè Satanicis deludere, iam olim uerè Papale & Romanum est. Hoc cùm historiæ clarè testantur, tum & ipsi in hunc usque diem gnauiter dant operam (pergentes scilicet Romanizare strenuè) ne scriptores parum uideantur ueriloqui.

Christus tamen seruabit & defendet Ecclesiam suam, etiam contra omnem potẽtiam Satanæ, & portas inferi: etiamsi Cæsar aut Reges non possent, aut (quod absit) non uellent seruare Ecclesiam, ipse longè facilius carere potest ipsorum auxilio, quàm ipsi Dei & Christi. Quis seruauit ueram Ecclesiam, antequam Cæsar & Reges præsentes nati essent? Et quid si hodie Ecclesia adhuc inter Ethnicos excitaretur, & nullus Cæsar aut rex Christianus esset, etiam si totus mundus plenus diabolis contra Christum sæuiret? Christus in mundo calici crucis, & poculo fellis amaro bene assueuit: quin uerò & ipse nouit longè acerbiora propinare alijs. Væ autem illis, quibus ipse propinauerit.

Verùm nos miseri & imbecilles Christiani, qui apud eiuscemodi sanctos hæretici uocamur, meritò lætari debemus, Deoq; patri misericordiarum ex toto corde læti gratias agere, quòd nostros illos Cainos & sanguinarios homicidas eiusmodi Aegyptiaca cæcitate & insania percussit,

sit, & Iudaica obstinacia, ut induxerint in animũ prorsus nihil cedere, in nullo articulo: citius passuri totam Christi interire Ecclesiã, antequam in minimo articulo abusuũ & idololatriæ (qua tamen oppleti sunt) ferant reformationem. De hac sua constantia gloriantur, & re ipsa etiam nihil aliud faciunt. Lætandum igitur nobis est, exultanter inquam lætandũ. nam hac pertinacia caussam nostram reddunt longè meliorem, quàm nos unquam optauimus: & suam longè deteriorem, quàm iam possint cogitare. Ipsi sciunt & fatentur, sibi DEVM *& scripturas aduersari: & tamen perrumpere uolũt, ac resistere* Deo *scientes, & iniusta defendere pro iustis. Quis Christianus hìc non sit ingenti, infracto & planè magno animo? Quis hìc non intrepidè, & millies (si res postulet) subeat uitæ periculũ, cũ tam clarè cernamus, imò palpemus, in nostra parte* Deum *esse, istos uerò palàm à Satana horribiliter agitari?*

Habemus ergo decretum & sententiam diffinitiuam futuri illius Concilij Vincẽtiæ, *et nouissimè omnium (ut hinc facilè conijcitur)* Mantuæ *ac* Tridẽti *indictæ synodi: nempe, prorsus desperandum esse de reformatione* Ecclesiæ: *& caussam religionis, aut nostram causam, nunquam audiendam esse. Citius enim* Papa *patietur (ut & gloriantur) totum nomen* Christianum *deleri, to*

tam

tam Christi Ecclesiam collabi & ruere:hoc est, ci tius ipsum Satanam pro Deo & Domino adorabunt, antequam Christum uelint recipere, aut minimum articulum suorum abusuū & idololatriæ suæ intermittere. Quin ne hoc quidem con tenti, ferro insuper & igni persequuntur uerè pios: & cogere uolunt nos miseros Christianos, ut & nos adoremus Satanam, & Christum contumeliosè & blasphemè reijciamus.

Huius tam confidentis peruersitatis, tamq; im manis amētiæ atq; diabolici planè sceleris, in nul la historia usquam extat exemplum. Alij tyranni & impij, quamuis Satanicè etiam crudeles, tamen id peccarunt excusabilius, quòd ignorantes Dominum gloriæ crucifixerūt: ut Iudæi, Gentes, Turcæ. Verùm hic est fex illa uirulenta, & sentina feculēti ueneni Satanæ nouißimi temporis, sceleratißimorum hominum, qui sub nomine Christi, & ut Christiani, qui inquam magno & ingenti fastu maximos Christianos semet per bul las tumentes efflant & ebuccināt, & contra Christum eiusmodi uoces edere audent: Nos quidem scimus Christi & uerba & facta contra nos esse, adhuc tamen uerbum eius ferre nolumus, adhuc ne Christo quidem cessuri sumus, sed postulamus ut ipse nobis cedat, nostramq; idololatriam spurcam, uelit nolit, ferat: & interim tamen summi

Christiani & esse & haberi uolumus.

Cum igitur Papa cum suis planè deneget nobis Concilium, planè nolit ferre Ecclesiæ emendationem, & omnem operam ibi denegans nobis, hoc unum agat, ut tyrannidem suam quoquo modo defendens, Ecclesiam ueram funditus interire patiatur: agite Christiani lectores, quid possumus amplius? Nos hic Papam sanctissimum præ amore cogimur excludere foras. Cogimur inquā deserere Deum terraceum, caput Ecclesiæ fictile: & confugere ad Christum DEVM uiuum, & caput Ecclesiæ uerum, & ibi petere ac quærere reformationem atq; opem, ne quid Respub. Christi & Ecclesia detrimenti patiatur. Nam licet propter eiusmodi crudelium et immanium tyrannorum nefariam & conscelleratā sæuitiam, tantum non de Synodo & reformatione desperare liceat: non tamen ideo desperabimus etiā de auxilio Domini nostri & sacerdotis magni, & uerè summi pontificis IESV CHRISTI: neq; ideo sine cōsilio & ope Ecclesiā ueram deseremus. Nos quidem hic ad gloriam DEI faciemus, quod possumus. Abeant ipsi ad locum suæ damnationis, & ad Satanam, sicut uolunt et merentur. Atq; hic palàm exclamantes, agimus eos reos, & accusamus capitaliter, ipsos scilicet esse uerè Antichristos, & uerè αὐτοκατακρίτους, qui seipsos condemnant, et

ſuperbè reſiſtentes ſpiritui ſancto damnati eſſe uolunt: qui ſemetipſos ex Eccleſia excludunt, & publicè gloriātur ſe eſſe ueræ Eccleſiæ atrociſsimos hoſtes, & ſe eam hoſtiliter perſequuturos eſſe. Qui enim dicit, ſe citius paſſurū ut tota intereat Eccleſia, antequam uelit reformari, aut in minimo cedere: hic palàm & clarè confitetur, ſe non ſolū in numero Chriſtianorū aut Eccleſia nō uelle inueniri (quam mallet millies funditùs extinctam, quàm ſe perire, aut unà cū Eccleſia ruere) ſed & palàm profitetur, ſe non quieturū niſi effecta hac re, ut intereat Eccleſia: quemadmodum et uerba illa factis & reipſa ſatis ſtrenuè implent, dum Epiſcopi iam odio ſinceræ doctrinæ (quam ipſi hæreſim & Lutheranam uocant) tot uacare eccleſias & templa ſine paſtoribus, ſine miniſtris, ſine ſacramentis deſerta ſtare, tot etiam Academias uaſtari patiuntur.

Olim ueri Epiſcopi & paſtores, imò & ſinguli Chriſtiani (ut & hodie à uerè pijs fit) martyrium & periculum uitæ cum gaudio ſubibant, pro ueritate DEI & Eccleſia: et CHRISTVS ipſe mortuus eſt pro ſua Eccleſia, ut Eccleſia conſeruaretur. uerùm Papa cum ſuis hoc tempore in hunc modum gloriatur, citius totam delendam et interituram eſſe Eccleſiam, quàm ipſe cum ſua infinita tyrannide, ac horribili idololatria, omniq;

genere nefarij sceleris remittere aliquid posit.

Ecquid placet, Christiane lector, ille bellus Christi uicarius? illud lepidum capitulum Ecclesiæ? Se seruatos uolunt: se manere, Ecclesiã collabi & interire uolunt. Quà nunc nos insistemus? Quò nunc me cum pijs meis uertam? Si interit aut interibit Ecclesia, tunc primùm oportet interire Christum, super quem tanquã petram ædificata est, sic ut inferi portæ non sint præualituræ. Si autem interit CHRISTVS, tunc primùm necesse est ruere & interire DEVM ipsum, qui petram & fundamentum hoc posuit.

Quis unquam putasset, tantam esse miserorũ Papistarum illorum potentiam, ut ad ipsorũ nutus & minas tota tam facilè ruat Ecclesia, unà cũ Christo, & ipso Deo patre in cœlis? Necesse est galeros & infulas Romanas longè fortiores esse portis inferi, & omnibus diabolis, contra quorũ uires adhuc Ecclesia Dei perstat inuicta stabitq; perpetuò.

Accusant & damnant, ut dixi, hic seipsos, & fatentur se nolle esse Ecclesiam, nec in Ecclesia: sed Ecclesiæ ueræ uolunt atrocißimi hostes esse, et in hoc totis uirib. incũbere, ut Ecclesia tota deleatur. Verùm hactenus bene exercuerũt et exagitarũt nos cum uocabulo ECCLESIA ECCLESIA: et clamoris ac quiritationis illius nul

lus

lus fuit modus neq; finis: uoluerũt haberi omnino pro Ecclesia, atq; ob eam solam causam in nos hæreticos excommunicationibus, edictis, bullis, ferro & igne sæuierunt, quòd noluimus eos tanquã Ecclesiã audire. Iam existimo suo ipsorum uerbo potẽter excusati sumus, et à peccato omni absoluti, ut non poßint amplius hæreseos nos accusare, cum ipsi amplius nolint esse Ecclesia. Sed interire cupiunt Ecclesiam, & tanquam hostes incumbere in hoc uolunt, ut opprimatur Ecclesia. neque enim illa duo simul stare possunt, ut simul sint Ecclesia: & Ecclesiam citius patiantur interire, quàm ipsi de uno pilo periclitentur. Hoc quidem uerbum durißimũ excidit eis incautis. Nunc nos poßumus confidenter dicere, ex ore tuo te iudico serue nequam.

Si non aliâs esset ante ostium extrema dies, non esset mirum, ad tam horribilem blasphemiam fractum collabi orbem, cœlum & terram ruere. Sed quia DEVS potest hæc iam pati, signum est, illum diem nostræ redemptionis, & damnationis ipsorum, appropinquare. Verùm hæc omnia derident, neq; cogitant, in quantam cæcitatem, amentiam, & horribilem furorem coniecerit eos DEVS: atq; in hac Epicurea prophanitate, & hoc contemptu DEI, sibi sapientes & fortes uiri uidẽtur. Et ego quidem minori periculo, quàm

ipsi, possem esse securus, si tantū ipsorū furor respiciendus esset. Verùm illa horribilis & immanis ira Dei, *quæ se in ipsis ostēdit, terret me uehementer.* Et *tempus quidem ipsum, & summa necessitas, lachrymas nostras ac orationem postularet: sicut &* CHRISTVS *super* Hierusalem *et hostes suos fleuit, & in paßione inquit:*Nolite *flere super me, sed super uos, & super filios uestros.* Non *enim credunt tempus uisitationis suæ horribilis tam propè impēdêre; neq; credere uolunt, etiamsi* DEO *contra eos uadente & iudicante, gramina & folia arborum, totamq; creaturam sibi irasci uideant, audiant, ac penè palpent.*

Quid ergo nunc faciendum, cum Papa, *nullū uerum & liberum Christianum concilium, neque ullam reformationem uult ferre: sed citius totam* Ecclesiam *uult funditùs interire? atq; ita ipse sese aliorsum proripuit, extra* Ecclesiam *elapsus nobis, ut ipse cum suis ruente tota* Ecclesia *manere poßit?* Hic *quidem* Papa *fuit, &* Ecclesiæ *uniuersæ longum uale dixit: quid ergo nunc faciendum? quò insistendum? quid tentandum inquam, cum sine* Papa *esse cogamur?* Nos *enim sumus illa* Ec*sia, & in* Ecclesia, *quam totam interijsse aut corruiße papistæ non huius faciunt: quam non cassa nuce redemptam aut seruatam uellent, modò ipsi seruentur.* Nos *quidem etiam libenter manere-*

mus,

mus, & libenter consilijs initis cogitaremus cum Domino nostro IESV CHRISTO, et patre illius cœlesti, patre gloriæ et Deo Maiestatis, an cōtra tam immanem fastum & crudelißimam tyrannidem papistarum aliqua uia seruari possemus.

Videmus Synodo generali, libera et Christiana opus esse in Ecclesia, cum tam crassos et immanes abusus cernamus: ut si boues aut asini, nedum homines aut Christiani essemus, nec oculis illos aut auribus animaduertere possemus, ungulis saltem & incessu nutanti obseruare cogeremur. Quid si nos, qui illa contemptibilis & afflicta Ecclesia sumus, contra illam manentem Ecclesiam, ut putant, inuito Papa & confidentißimis dominis papistis, Synodum & reformationem ipsi inciperemus, quæ illis confidentißimis hypocritis et huic (iuxta sui animi cogitata) mansuræ Ecclesiæ uideretur ualde infirma, quam tamē uolentes nolentes, ut hactenus, ferre cogerentur? Sed ad rem ipsam accingamur, quia nunc caput Ecclesiæ sanctißimū Dominum Papam amisimus, ad coruōs profectum: et ipsi nobis consulere cogimur, quantum dederit Dominus.

Multi quidem inter papistas his XX & aliquot annis, plurimum laboris insumpserunt, in perquirendis Concilijs & scriptis patrum: ut tandem omnes Synodos, omnia concilia in unum li-

brum iam collegerint. Qui labor mihi utilis esse uidetur: nam antehâc omnia concilia in uno libro non uidi. Et inter papistas (etiam meo iudicio) multi boni & pij animi sunt, qui Ecclesiam libenter uiderent reformatam, secundum decreta uerè piorum Conciliorum, sententias & scripta patrum: quos & ipsos uehementer (ut uideo) commouit, præsentem corruptissimum et prophanissimum statum Ecclesiæ sub Papa tam impudẽter alienatum à Christo, & (ut palàm est) prorsus discedere ab omnibus Concilijs ueteribus & patrum institutionibus. Verùm hîc prorsus inania sunt bonorum illorum consilia, prorsus inanes omnes piæ & bonæ cogitationes. Nam illorum animus atq; sententia haud dubiè eiusmodi est, ut & Papa cum suis pareat & subijciatur huic Synodali reformationi: uerùm hoc totum frustra est, & omnes hoc conãtes, laterem lauant. Nam hic stat inflatus ingenti ac diabolico fastu et confidentia, Papa cum suis impudentißimis Carnalibus: & superbè insultando, æquè contra illos bonos atque contra nos rugitum suum edit & intonat: citius passurum se, ut uniuersa intereat & ruat Ecclesia, cõspurcetur & deleatur totũ nomen CHRISTI, quàm ut in uno articulo cedere uelit. hoc est, citius Synodos ueteres & nouas, Concilia in uniuersum omnia, permissurum se pedibus cõcul-

cari,

cari, decretaq; eorum sancta in quamuis cloacam abijci, antequam uerè sacrosanctis Synodis ac patribus ipse cum suis se subijciat. Nam si Concilijs & ueteribus patribus parendum erit, ô DEVS bone, quo'nam gentium Papa et Cardinales relegabuntur? Profectò adamantina illa & firma Ecclesia, quæ mansura sibi uidetur, arido etiam folio et quauis pluma leuior, in quatuor uentos esset euolatura.

Tacebo hic de ueteribus illis Concilijs ante annos M. uel M. & CCCC celebratis. Nondum enim adhuc elapsi sunt C. anni, cum sanctißima Ecclesia Romana pro suo sancto more cœpit uni sacerdoti dare duo beneficia, & plures præbendas, pluraq; curata quàm unū. Ibi Theologi Parisienses, qui laudem tunc habebāt præcipuè aduersus Ro. curiam τῆς παῤῥησίας, censurā exercuerunt ualde, & clamarunt, multaq; horribilia contra eam scripserunt. Nondum natus sum annos LX. & tamen scio, id mea ætate et memoria inuectum ac introductum esse per Romanistas, ne uni Episcopo permitterentur plures episcopatus. Interim autem Papa (pro inexplebili Romanæ curiæ uoragine) deuorauit omnia: Annatas, Abbatiarum & episcopatuū reditus, prouincias & regna hausit & absorpsit, uix ruinis relictis. Interim tres episcopatus uni dilecto, abbatias quinque, uel sex

præbendas X. sacerdotia XX. sæpe uni carnali, aut carnalibus & dilectis dedit. Quomodo hæc omnia sic saginatus reuomere Papa, aut quomodo pati ut cãcellaria Romana dißipetur propter Concilia & patres, potest?

Sed manifesti abusus isti sunt, inquis, & nullo modo tolerandi amplius: imò tota potius Roma ex ipsis fundamentis euertenda, sed pedetentim tamen. Sic'ne notus tibi ille Vlysses est, ut putes laturum quicquam eiuscemodi? Veniant sanè ipsi Apostoli, Petrus, Paulus, comitati omnium seculorum patribus, instructi omnium Conciliorum decretis: uenias quicunq; es usquam gentiũ Christiane, profer scripturam, prome synodos. De opibus & gloria agitur: hæc est illa Helena, quam Papa eripi sibi non sinet. Tolle ergo primùm abusus, nuper adeò introductos. Nam ante centum, imò ante LX annos, cum ego nondum essem natus, hic status non fuit.

Qua uia nunc ergo insistemus cum reformatione nostra ex patribus & Concilijs? Hoc quidẽ audis, nisi surdus sis, Papã, Cardinales & Episcopos, nihil minus quàm hanc reformationem passuros. Si igitur nunc eò extremæ corruptionis omnia redegit homo peccati Papa, ut statũ Ecclesiæ qui ante L annos talis (te & me pueris) fuit, ferre non poßit: quæso te, quomodo tandem illud

ferent,

ferent, cum ipſorum Eccleſias *reformabimus ad ſtatum* Eccleſiæ *ueteris, qualis fuit ante annos 600, ante annos 1000, aut 1400?* Hoc *quidem totum, quod pij aut boni cogitãt, fieri prorſus non poteſt: cum* Papa *ſit in poſſeßione, & planè reformari nolit.* Fruſtra *ergo (quod ad hoc attinet, ut* Papa *reformetur) ſunt* Concilia*: fruſtra omnes nati aut exorti patres: fruſtra id totum, quod hac de re aut cogitant, aut loquuntur.* Nam Papa *(ut pro ſuo faſtu & infinita tyrannide intonat) eſt ſupra* Concilia*, ſupra patres, ſupra reges omnes,* DEUM *et angelos.* Ibi *quo pacto eum tam ſublimi deijcias ſolio, quomodo concilijs & patribus ſubijcias, tu uideris. Si hoc feceris, tum ego quoq; lætus & excitatus applaudam tibi, tuasq́; partes tuebor.* Quamdiu *autem hoc non fit, quid profuerit, quòd tam multa de concilijs & patrib. & ſcribuntur & dicuntur, cum nemo ſit, qui hoc totum uel tantillum moretur.* Nam *ſi* Papa *in hoc nõ unà nobiſcum concilijs & patribus uult ſubijci, cum ſuis illis ſempiternis & nunquam intermorituris dominis* Cardinalib. *&* Epiſcopis*, tunc nulla eſt utilitas* Synodi*: nulla tunc reformatio, quæ alicuius momenti ſit, ſperãda eſt.* Nam *ſic* Papa *pro ſua libidine euertet atque proſternet omnia, & ſilentium imponet nobis.* Quod *ſi illi optarint, ut iuxta decreta* Synodorum *& ſcripta*

patrum,

patrum, nos unà cum ipsis reformationem patiamur, & cõsulamus Ecclesiæ, ut maximè Papa unà cum suis emendationem pati non uelit: ibi tum distinguendum erit. Aut enim qui hoc petunt & optant, sunt acerbi & uenenati, et animo hæc malo dicunt: aut sunt boni homines, & animo etiam (quantum in ipsis est) minimè malo hæc dicunt.

Prioribus sic respondeo, ut primùm in suum ipsius sinum expuant, et trabem prius ex suo oculo extrahant unà cum Papa & Cardinalibus: aut etiam sine Papa & Cardinalibus, &c. Concilia et patres amare & amplecti incipiant: cum hoc fuerit factũ, tum mox hoc sanctũ exemplũ sequuti, lõgè præcurrẽtes, meliores eis erimus. Nam nos, laus Deo, tam scelerati homines nõ sumus, ut malimus totam interire Ecclesiam, quàm cedere. Sed & in magnis cedemus, modò non contra Deum sit: imò parati sumus funditùs interire, & in cineres ac puluisculos redigi, antequàm uelimus Ecclesiam in minimo lædi, aut damno affici, quantũ quidem nos præcauere possumus.

Si autem patres, concilia, omnem illam autoritatem ipsi extremè contemnere uellent, & nihilo minus nos cogere ad illos, hoc quidem tyrannicum esset: & nos possemus iure dicere, Medice cura teipsum: & possemus eis obijcere hanc uocem Christi, Onera grauia & importabilia colligant,

gant, & imponunt in humeros hominum, ipsi autem ne digito quidem attingunt illa. Hoc quidem *nihil prorsus ualet: & nos grauißimas causas habemus hoc denegandi, hoc detrectãdi, præsertim cum tam magnam sanctitatem* Conciliorum *& patrum ebuccinent: à qua nos queruntur discedere. quam tamen ipsi tantum in chartis pictam & scriptam circunferunt, & uerbotenus tantum fucos & fumos uendunt auditoribus, re ipsa nihil seruant.* Nam nos *fatemur, & cogimur fateri, nos uerè imbecilles* Christianos *esse, & hoc quidem in multis articulis.* Primùm, *quod noctu diuq́; toti sumus occupati in doctrina fidei & cognitionis* CHRISTI, *legendo, meditando, scribendo, docendo, exhortãdo, cõsolando cùm nosmetipsos, tum alios: ut profectò neq; tempus neq; ocium nobis sit cogitandi, an ulli patres, an ulla unquam* Concilia *fuerint: tantum abest, ut sublimiorib. illis* Papisticis *articulis inquirẽdis uacare poßimus, de raso uertice, de clerita, quam uocant platten: de stolis & cucullis, &c. & similib.*

Si ipsi eò Euangelicæ *perfectionis euaserunt, doctrinamq́; fidei &* Christi *semel tam perfectè hauserunt, ut liberi sint toti à tentationibus Satanæ, ab erroribus et terroribus cordium tentatorum: eò certè nos infirmi* Christiani *nõdum peruenimus, & ueremur ne per omnẽ uitam eò perueniamus.*

ueniamus. ideò meritò nostri misereri eos oportuit, ut non tam citò nos damnarent, quòd ipsorũ tam præclaram sanctitatẽ æquare non possumus. Nam si ita nostra exercitia intermitteremus, quæ nobis in sola fidei doctrina sunt maxima, et ipsorum robur imitari conaremur, in cæremoniolis, cucullis, cibis, uestibus: tum nostram infirmã sanctitatem relinqueremus, & tamen ipsorum magnam cæremoniosam sanctitatem non assequeremur, atq; ita (ut aiunt) utraq; sella excluderemur. Si uerò non commiserescit eos nostri, tum sinamus eos sic bene securos, cum angelis in paradiso, inter densos flores, choros agere, ut præmagnos sanctos, quibus Christi fidei cognitio trita res est: qui in sua cœlesti sanctitate nullam tentationem neq; à diabolo, neq; à carne, neq; à mundo habent.

Nos uerò anxiè desudamus, et laboramus perpetuò, incedentes per medium cœnum, ut qui in certamine & lucta fidei ualde sumus imbecilles, & uix primi alphabetarij uel tyrones, nedũ conferendi ad excellentes doctores & perfectos magistros fidei. Nam si tantum haberemus robur, quantum se habere putant Heroes & Atlantes isti, multo minori negocio uellemus tolerare rasos uertices, casulam & stolam, concilia, & patres, quàm quantum ipsi sibi facessunt. Sed quia res est

non

non usqueadeò grauis aut magna, facilè sustineri ab ipsis potest. Nam leuiter fert, qui nihil fert.

Interea *ipsi quasi è sublimi clamitant plena uoce, quòd nihil uelimus ferre onerum.* Vicißim *igitur ipsis respondemus, nobis non adeò uacare, ut in alijs sublimioribus operibus, quæ ipsi iactitant quasi spiritualia, conciliosa, & propter uenerabile nomen patrum suspicienda, poßimus elaborare.* Vrgemus enim, *& exercemus cùm nos, tum nostros summis uiribus, summaq; contentione, ut* DEVM *super omnia & proximum sicut nos ipsos diligamus, ut studeamus patientiæ et humilitati, simus misericordes & liberales, casti & sobrij: non auari, neq; inuidi, & quicquid præterea est talium* Dei *præceptorum.* Valde *quidem uellemus, nullibi apud nostros ne quidem nomen exaudiri superbiæ, auariciæ, usurarum, inuidiæ, luxus, adulterij aut lasciuiæ.* Sed *adeò languidi et debiles sunt pleriq;, ut ad bona opera ægrè adduci se patiantur.* Maior *pars hominum, ut est securißima, ita perseuerat in sceleribus et peccatis cōtra conscientiā: & quod dolendum est, magis magisq; ruit quotidie, & pergit ad interitum.*

Iam *cogita, cū ad hæc necessaria diuinitùs præcepta opera adeò difficulter pertrahi seu inuitari auditores nostri queant: qua ratione possemus hæc relinquere, & ad illa excellentia cæremonio-*

sa

sa pompatica, nec tamen necessaria opera, de quibus ipsi prolixè declamitant, nos totos conferre? Imò si tantum possemus proficere, ut hæc diuina, uel potius uilia, contemptibilia, aut (ut ipsi extenuant) ciuilia opera magnifierent ab omnibus: tunc demum ipsorum spiritualia & Ecclesiastica lia opera, de esu carnium, de ueſtitu, de discriminibus ciborum, dierum, &c: DEO iuuante, olim etiam faustis principijs essemus auspicaturi.

Verùm ipsis est in tenui labor, cum legi DEI per omnia satisfaciant, DEVM super omnia diligant: nulla sit inter ipsos auaricia aut usura, nulli adulteri aut scortatores, nulli bibuli aut nepotes, nullius deniq; sceleris suspicio: sed omnia eiusmodi tenuia bona & diuina opera, tanta præstant facilitate, ut per omnem uitam sint ociosi. Rectè igitur faciunt, quòd super hæc nostra ciuilia opera, alia grauiora & sublimiora, iuxta obedientiam debitam Ecclesiæ & patribus excogitant, et exequenda suscipiunt: ut qui uiribus adeò præpollent, ut nimis parum eis sit, unà cum nobis in bonis operibus adeò tenuibus desudare.

Attamen ipsi secundum suam sublimem & eximiam misericordiam, & iuxta Pauli doctrinã, deberent erga nos infirmos & miseros Christianos moueri commiseratione, nec nos statim omnibus diris deuouere, aut superbißimè ridere nos,

quòd

quòd primùm scamnis annixi, uelut infantes pau latim discimus incedere: imò sordibus & cœno mersi, utcunque serpimus ac reptamus, nec ceruinis pedibus super & extra mandata Dei prosilire possumus, ut ipsi faciunt, fortißimi Heroes & Gigantes: qui longè maiora tentare audent quàm illa sunt, Deum super omnia, et proximum ut seipsum diligere: id quod S. Paulus uocat impletionem legis, Rom. 13. & ipse filius Dei, Matth. 5.

Quod si omnino nolint affici nostra infirmitate, patiantur saltem exorari se, ut tantum nobis concedant temporis, quoad præcepta Dei, et illa parua puerilia pædagogica opera absoluerimus: tunc, pollicemur bona fide, nos unà cum ipsis illa etiam excellentia, spirituosa, heroica & Herculea opera recepturos, seu tentaturos esse. Nam quæ hæc est amentia, aliquem bimulum prouocare, ut in decurrendo stadio certet cum Milone Crotoniata illo robustißimo? qui bouem per aliquot stadia gestasse, atq; inde pugno interfecisse, unoq; die integrũ deuorasse solus dicitur. Hic sanè præ puero facilè laudẽ uictoriæ consequetur: ut cui nõ tantũ uiriũ suppetat, quantũ iam adulta et iusta ætas acquisiuit. Sic nos quoq; imbecilles & miseri Christiani, qui in præceptis Dei, & ipsius bonis operibus, quamuis in speciem uideantur tenuia, ceu infantuli parietibus aut scamnis

adnixi pedetentim incedimus, interdum etiam pedibus & manibus fulti ægrè reptamus, aut etiam in terrã residentes infantili more nos ipsos uix leuiter protrudimus: & Christus ipse cogitur nos sua manu prehensos hinc inde ductare, perinde ut mater aut famula manuducit paruum natum, donec adolescat. quia uerò simpliciter non possumus imitari ipsorũ pernicitatem, uel fortia facta (& DEVS nos custodiat ne imitemur) uolumus igitur illam Ecclesiasticã & Conciliosam sanctitatem (quam sic nominant) tantisper differre, donec nihil amplius de præceptis DEI & operibus diuinis faciendum nobis restet. Et talem reformationem tolerare nullo modo possumus, aut uolumus.

Hæc respondimus ijs, qui sunt ex primo genere, qui maliciosè & ueteratoriè talem reformationem à nobis exigunt.

Alijs, qui bono animo & consilio existimant eiuscemodi salutarem reformationem ex decretis ueterum conciliorum & scriptis patrum bene fieri posse, ut maximè Papa nõ uellet, aut etiam eam impedire conaretur, his etiam uicißim sincero animo in hunc modum respondeo: quòd mihi uideatur hic labor prorsus impoßibilis, neq; uideo quomodo eiuscemodi reformatio tentari poßit. Nam & ego legi & perlegi patres & ueterum

ſcripta, etiam antequam me tam animoſe & pertinaciter Papæ opponerem: & legi paulo attentiori cura & diligentia, quàm hi qui nunc inſultando & ſuperbiendo patrum mihi opponunt dicta. Scio enim paucos ex eis expertos eſſe, aut in enarrandis libris ſcripturæ ſanctæ in ſchola periculum feciſſe, quantum diligẽs profeſſor prophetarum & pſalmorum adiuuari poßit ex ueterum enarrationibus & commẽtarijs, ſicut ego expertus ſum. Accipiant adhuc in manus aliquem librum ex ſcripturis, & tentent ueram ſententiam uerborum Apoſtolicorum et propheticorum colligere ex commentarijs patrum: tum pro theſauro carbones inuenient. & accidet eis, quod mihi accidit in Epiſtola ad Hebræos, cum frigidis & uerboſis gloßis Chryſoſtomi: in Epiſtola ad Titũ & ad Galatas, cum commentarijs Hieronymi: & quod accidit mihi in Geneſi, cum annotationibus Ambroſij & Auguſtini: in Pſalterio (qui libri profectò requirunt eruditum interpretem) cum omnibus omnium in uniuerſum commentarijs, qui uſquam extant, aut haberi poſſunt. Ego plus legi in ſcriptis omnium ueterum, quàm ipſi exiſtiment: & per omnes libros ſcripturæ etiam excußi & percurri ueterum commentarios. Plus ſatis ergò arrogantes ſunt, & faſtu phariſaico inflati, qui putant me ueteres non legiſſe, & uete

rum scripta mihi nunc primùm tanquã Lydium lapidem obtrudere uolũt: quæ ante uiginti annos coactus sum paruifacere, cum Scriptura legenda esset in scholis, & magno sudore ueram ac germanam sententiam quærerem.

Diuus Bernhardus *quodam loco dicit, se suam cognitionem & sapientiam in scripturis sanctis ab arboribus, quercubus et abietibus didicisse: has fuisse sibi pædagogas, præceptrices et magistras: hoc est, se ex scripturis sanctis sub arboribus in syluis meditando, ad hanc cognitionem peruenisse.* Idem *dicit, & se magnifacere sanctorum scripta & patres, sed tamen se non omnia eorum dicta habere pro oraculis, aut cœlesti uoce: & asserit, se eius rei hanc habere caussam. malle enim se haurire et bibere ex scaturigine et ipsis fontibus, quàm tenues riuulos sectari: quemadmodum & omnes qui in æstu ad sedandam sitim, fontem ipsum inuenire & attingere possunt, facilè negligunt riuulos, non requirunt riuulos: nisi quòd sæpè accidit, ut ijs quasi ducibus, qui ad fontẽ perducant, utiliter utamur.* Ita *scripturam sanctam, &* Biblia *ipsa, tanquam summum magistrum & uerum fontem sequi debemus.* Nam *si mæandros riuulorum sequi uoluerimus, nimis ij longè abducent ab ipso fonte, & amittent omnem uim ac saporem, donec in mare salsum, id est* Oceanum *illum*

lum magnum humanæ doctrinæ & errorum, refluant, & abscondantur: ut factū est sub Papatu.
Sed de hoc satis. Nunc *causas seu ratiōes subijciam, cur existimem reformationem ex scriptis* Conciliorum *& patrum fieri neutiquam posse.* Primū *palàm est, in Synodis inueniri decreta non solum diuersa, sed et palàm pugnantia inter se, et cōtraria: ita & in scriptis patrum non rarò manifestam inueniri pugnantiam. Si nunc tantam uarietatem inde à tot seculis reducere ad concordiam deberemus, ibi longè acriora certamina, longè uehementiores disputationes exoriturae essent, quàm nunc sunt hoc tempore, è quibus nunquam eluctari possemus.* Nam *in multis articulis sunt inter se admodum diuersi, et sæpè inter se pugnantes.* Tunc *primùm is labor esset subeundus, ut primùm excerperentur optima, reliqua omitterentur: tum primū bellū ingēs esset exoriturum.* Hic *dicturus esset: Si dicta patrum seruamus, in totum et omnia seruemus, aut nulla, aut nihil.* Alius *esset clamaturus aliud:* Vos Lutherani *scilicet excerpitis ex patribus quæ uobis placent, et omittitis ea quæ displicent.* Ad *quos igitur hic deuenietur, in tanta tamq; rabiosa lite, arbitros?* Nam *in omniū manibus est* DECRETUM, *immanis libri moles.* Ibi *hoc fuit consiliū & institutū* Gratiani, *illud conatus est,* Conciliorum *& patrum*

d 3 *dißidentia*

dißidentia dicta concordare:atq; ob id titulus est libro, CONCORDANTIA DISCORDANTIARVM.*hoc est, Gratianus uoluit discordantes patres & synodos redigere in gratiã, conciliare discrepantes, & ex omnibus excerpere puriora & meliora.Nec tamen adeò fœliciter proceßit hic labor.Sæpè enim puriora et meliora omisit,& deteriora retinuit:& quamuis Gratianus neq; ad gratiam, neq; ad concordiam reuocauit patres aut Synodos, (ut ipsi fatentur erudítiores iurisperiti, Decretum olere auaritiam & ambitionẽ : & purus canonista,inquiunt,purus putus asinista)quanto magis nos incursuri essemus in scopulos,si eò res deduceretur,ut ad reformandam Ecclesiam primùm dicta & scripta ueterum patrum et Synodorum concordaremus? Hoc esset profectò perdere operam & oleum, & ex uno malo geminũ,ex una lite serere infinitas.*

Illis ergo inanißimis disputationibus, tãta iam luce exorta sinceri uerbi,non me immiscebo.Scio enim nullum fore tunc rixarum, contentionum, litiũ acerbißimarũ finem:& tandem nihil quàm incertam et dubiam doctrinam cum magno damno laboris et temporis obtineremus. Theologastri illi adolescentuli, & quidam hypocritæ, qui inanißimos & stultißimos libellos scribendo,tantum chartas miseras affligunt, rudes sunt & neophyti,

phyti: & Vuiccliano quodam somnio cogitant, paruam rem esse sanam doctrinam conseruare, et rectè gubernare Ecclesiam Dei uiuentis. atq; hi putant, quicquid ipsi bellum lectitant in suo illo inerti & uerè monachali ocio, secundum has annotatiunculas suas, Ecclesias in omnibus regnis et totam Rempub. Christianam posse emēdari: cum tamen in rebus tantis, & negotijs uerè Apostolicis uix alphabetarij sint, necdum scripturam sacram, concilia aut patres degustarint, aut salutarint à primo (quod aiunt) limine: excitant magnos clamores, & nesciunt quid loquantur, aut de quibus affirment.

De Gratiano interim tacebo. At Diuus Augustinus scribit ad Ianuariū, et deplorat statū Ecclesiæ. queritur enim cū lachrymis, iam tunc, id est, CCC annis post natalē Christi (nam hoc 1539 anno, MCII anni sunt à morte Augustini) q̃ Ecclesia Christiana onerata fuerit, subinde auctis atq; exaggeratis traditionibus Episcoporū, ut etiam Iudaismus tolerabilior fuerit. & clarè ponit hæc uerba: Innumerabilibus seruilibus oneribus premunt Ecclesiam, cum Iudæi solum Dei mandatis, nō traditionib. hominū onerati fuerint, &c. Et disertè ibi dicit Augustinus, quòd Dominus Iesus Christus Ecclesiam suam paucis & facilibus cæremonijs constitutā, oneratā & honoratā uolue

rit, ut pote illis duobus, Baptiſmo ſcilicet, & Eucharistia Et idē Auguſtinus nullas alias cæremonias ibi oſtendit, q̃ illas duas: ut quilibet legere poteſt. Nam libri eius extant, ne quis putet me hoc ex me cōminiſci. Ipſe autem hæc omnia uincula, & totum illud Pharaonicum iugum, quo tunc preſſa gemebat Eccleſia, quaſi uno ictu diſrumpit ac lacerat, cum eodem loco breuius quidem, ſed ponderoſo uerbo inquit: Hoc genus habet liberas obſeruationes, hic nemo obligatur ad obſeruandas traditiones, ſed ſine peccato poteſt liberè omittere. Næ tu hic, Auguſtine pater, omniū es hæreticiſsimus, præ quo ego ne hæreticus quidē: qui tot Epiſcoporum & Eccleſiarum ritus, cæremonias, traditiones, quaſi in unum faſcem conuolutas, ſemel das ignibus, & tantum ad Baptiſmum & ſacramentum cœnæ Domini uocas homines: et palàm pronuncias, Chriſtū noluiſſe Eccleſiæ alia onera imponere, ſi modò onera appellanda ſunt hi ritus externi: qui ideo ſunt inſtituti, ut de conſolationibus & promiſsionibus diuinis, & de multis magnis rebus nos commonefaciant. quemadmodū ipſe filius Dei dulciſsimis uerbis inquit: Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Id eſt, Onus meum pax eſt, & iugum meum conſolatio.

Sed tamen uir ille prudentiſsimus, illis celeberrimis uel (ut uſitatè nominantur) uniuerſalibus

ſeu

seu generalibus Synodis, id habet honoris, ut eas ab omnium aliarum Synodorũ & Episcoporum decretis & traditionibus separet, affirmetq; magnifacienda esse illa quatuor Concilia. Et scribit eodem loco, uniuersalium uel generaliũ Synodorum decreta atq; ordinationes meritò obseruandas esse. & ut ipsius uerbis utar, Saluberrima, (inquit) est authoritas: id est, ualde utile est his Synodis reuerenter parêre, & eas magnifacere.

Verùm Augustinus hæc bono quidem animo: sed nullam uetustiorum Synodorum uidit, neque his interfuit, aliàs longè aliter erat de his iudicaturus. Quatuor enim tantum sunt potiores Synodi, in omnium libris atq; scriptis satis claræ & celebres: & adeò celebres, ut Romani pontifices eas quatuor Euangelijs cõpararint, ut in suis Decretis prolixè nugantur. Primum est Nicenum, quod Nicææ in Asia est celebratum quintodecimo anno Constantini Magni, 35 annis ante natũ Augustinum. Secundum Constantinopoli, tertio anno Gratiani Imp. & Theodosij primi, qui tunc unà præfuerunt imperio in gubernatione. tunc Augustinus nondum erat conuersus, nec Christianus, suæ ætatis forsan XXVI. quòd his tantis negocijs non affici poterat. Tertium Ephesinum, quod post mortem Augustini celebratum est: & iterum aliquanto pòst Chalcedonense fuit. Hæc

omnia certò possunt haberi ex historica lectione, & accurata calculatione annorum.

Hæc dicenda mihi fuerunt propter uerbum S. Augustini, de quo suprà, illa scilicet uniuersalia uel generalia concilia magnifacienda esse, ut eius sententia rectè intelligatur: nempe ipsum loqui tantum de duobus illis concilijs, Niceno & Constantinopolitano, quæ non uidit, sed postea tantum ex scriptis uetustioribus cognouit. Atqui tunc temporis nulla erant certamina de præeminentia Episcoporum. Nam eiuscemodi concilia nulli Episcopi, neq; Romanus, neq; quisquam alius, potuissent congregare: sicut hoc ostendunt concilia minora & particularia, quæ sine Imperatorum edictis paßim in prouincijs inter ipsos Episcopos celebrata sunt. Et meo quidem iudicio, uniuersalia concilia nomē habere uidentur, quòd Episcopi à summo capite & monarcha ac uniuersali domino Imp. ex omnibus prouincijs conuocabantur. Nam hoc satis clarè testatur Historia, ut maximè omnes Papistæ nocendi cupiditate insaniant, Episcopum Romanum Syluestrum, nisi Imperator Constantinus id fecisset, nunquā fuiße conuocaturū concilium Nicenum. Et quid miser ille Romanus episcopus tunc facere, aut efficere potuisset, cum ei Episcopi in Asia & Græcia non eßent subditi? Si enim sine autoritate uel manda-

to Cæsaris Constantini potuisset congregare Synodum, tum non Nicæam in Asia, tam in longinquum ultra mare locum, ubi autoritatem suam (sicut satis sciebat, atq; expertus erat) paruipendi certum erat, sed in Italia, aut Romam, aut uicinum aliquem alium locum concilio delegisset & præfinijsset, & coegisset Cæsarē ad se accurrere.

Idem dico de alijs tribus celebrioribus Synodis: si Imperatores, Gratianus, Theodosius, & Theodosius secundus, item Marcianus, illa tria magna Concilia non cōgregassent, tunc quod ad Episcopi Romani & aliorum omniū Episcoporum autoritatem attinet, nunquam essent celebrata. Nam Episcopi aliarum regionum tantum formidabant Romanum pontificem, quantum nunc formidat Episcopus Moguntinus Treuerensem, aut Treuirensis Coloniensem, aut Coloniensis utrunq;. Nam inter ipsos stat regula, Par in parem non habet imperium.

Sed tamen prudens lector facilè id subodoratur in omnibus historijs, iam olim Pontifices Romanos hoc morbo insanæ ambitionis laborasse, atq; hac ardenti febri æstuasse, quærēdæ dominationis & monarchiæ super alios Episcopos: sed præ potentia Monarcharū & Imperatorum non potuerunt cò euadere. Nam Episcopi Romani tunc multas paßim sparserūt satis imperiosas Epistolas,

pistolas, in Africa, in Asia, etiam ante Nicenum concilium: nihil esse statuendum publicè in Ecclesia, uel Imperio, sine sede Romana. Verùm nemo tunc admodum formidabat Romanum nomen: et Episcopi in Africa, Asia, & Aegypto, dißimulabant omnia. & quanquam satis humaniter Rom. pontifici respondent, & se illi uerecundè subijciunt, tamen nihil concedunt potentiæ. Hoc inuenies in historijs, si omnia legeris, & diligenter contuleris. Illud saltem attendito, ut clamores adulatorũ (qui parasitantur in aula Pontificis) nihil cures: sed textus & historias ipsas potius expendas, & in conspectu habeas.

Iam cum hoc splendidum uocabulũ CONCILIVM *apud Christianos etiam per illa uerba Augustini, quorum suprà mentionem fecimus, in maximam ueniret autoritatem, seu precium, & illi excellentes Cæsares uel Monarchæ iam essent mortui, semper Romani pontifices in hoc intenti fuerunt, quomodo potestatem hanc conuocandæ Synodi, & hoc sanctũ nomen* CONCILII *sibi arrogarent, & ad se traherent: ut omnes populi et tota Ecclesia cogeretur credere, quicquid ipsi dicerent: atq; ita sub tam sancto titulo & speciosa nomine uniuersalis Concilij, ipsi domini uniuersales & monarchæ orbis terrarum fierent (nihil dubium est, me hic acu tangere ueritatem*

ipsam,

ipsam, & conscientiam ferire, si tamen conscientia in ipsis esse posset.) Et profectò ita res habet: *sicut aliqui interdum screatu uel tußi crepitum dißimulant, aut ficticios morbos, qui sibi malè cōscij sunt, falso uel insidiose prætexūt: ita* Romani *pontifices nescio quid ægritudinis prætenderunt sæuæ cupiditati, qua clàm inhiabāt imperio, donec tandē fierent* Constantinus, Gratianus, Theo*dosius,* Marcianus*: & iam sint* potentiores, quàm *illi quatuor* Monarchæ *cum suis quatuor concilijs fuerunt.* Nam Papæ *concilia continentur hac epigraphe:*

Sic uolo, sic iubeo, sit pro ratione uoluntas.

Non *tamen in toto orbe terrarum, neq; in tota* Ecclesia, *sed tantum in ea parte* Romani *imperij, quam Carolus magnus habuit.*Nam *per illum ualde multa obtinuerunt et effecerunt, donec ipsi* Romani *pōtifices iam ab omnibus diabolis afflati & possesi, aliquot Cæsares crudeliter pedibus conculcarunt, ac nefando & multiplici eos scelere prodiderunt: id quod in hunc usq; diem data opera & gnauiter faciunt, quantum omnino possunt: idq́; Merniriuus de eis in testamento prophetauit, & præmonuit Carolum* V.Imp.

Verùm hactenus, quid de concilijs scribat Augustinus, exposui. Nunc etiam illud subiungam, quid de patribus sentiat. De ijs scribit ad S.Hiero*nymum*

nymum in hunc modum (quod & Gratianus distinc. 9. repetit) Dum omnes omnium, qui unquã in Ecclesia scripserunt, opiniones excutio, ac eas inter se studiosè confero, inuenio, tantum Sacram scripturam non esse erraticam. Omnes alios ita lego, quantumuis sanctitate et eruditione alijs antecellunt, tamen nunquam tantum uelim eis tribuere, ut existimarẽ uera ipsos docuisse, nisi aut Scripturæ testimonijs, aut argumentis illustribus conuincar, illa sic esse oportere. Item eodem loco in Decreto citatur etiam locus Augustini, ex prologo librorum de Trinitate: Noli, inquit, sequi scripturas meas, ut Scripturam sanctam: sed quicquid in sacris Biblijs repereris, cui prius non assentiebas, illud sine ulla dubitatione credito firmiter. Sed in meis scriptis nihil debes uocare certũ, mei nominis autoritate motus, quod antea habebas pro incerto: nisi firmißimis rationibus à me fuerit demonstratum, quòd sit certum.

Tales multos locos ponit & alibi, ut cum dicit: Sicut alios libros lego, ita & meos legi uolo. Alios locos hic omitto. Papistæ probè nouerunt hæc & similia in Augustino paßim esse scripta, & in ipsorum Canonibus & decreto contineri. Et nihilominus tamen quadam pharisaica pertinacia palàm oblatrant ueritati, faciunt contra suam conscientiam, dißimulant et occultant eiusmodi

modi locos: uolunt patres, dicta ueterum, Episcopos Romanos, qui plerunq; fuerunt homines ualde indocti, præferri illis omnibus. Videmus ergo, S. Augustinum multa desiderasse in patribus, qui ante ipsum fuerunt, cum uelit ab eorũ authoritate liber esse, et illos omnes, adeoq; seipsum, subiectos esse soli scripturæ sanctæ. Nisi de magnis & necessarijs rebus præmonere uoluisset nos uir tantus Augustinus, quid opus erat eum tam ardentibus uerbis uti: Quantumcunq;, inquit, præpolleant sanctimonia, aut doctrina? Multo fuisset facilius dicere, Quicquid ueteres scripserunt, hoc tanti facio, quãti ipsam Scripturam, propter sanctitatem authorum. Ipse uerò pernegat tanti faciendam esse authoritatem ueterum. sicut & in alia Epistola ad S. Hieronymũ, ualde stomachantem, quòd commentariũ ad Galatas Pauli in quodam loco Augustinus reprehendisset: Mi frater, inquit (ut humanitas fuit mira Augustini) non spero te postulaturum, ut tui libri Apostolorum & Prophetarum libris pares habeantur, &c.

Equidem mihi id honoris à uiro eiuscemodi pio & docto haberi nolim, ut simili Epistola admonear, sicut ab Augustino Hieronymus admonitus est, ne meos libros postulem æquari scripturæ sanctæ libris. Pudeat enim hominem id uel cogitare, ut nostra autoritas autoritati spiritus sancti

cti

cti æquetur. Sed hoc est, quod iam tracto: Augustinum scilicet uidisse, patres & scriptores etiam fuisse homines, nec prorsus superasse infirmitatē, de qua cap. 7. ad Rom. *Ideo non uult cōfidere neque* Concilijs, *neq; scriptis ueterum, quamuis sanctorum: neq; sibi ipsi, multo minus posteris, qui deteriores erant futuri: sed uult scripturam sanctam esse & regulam unicam, & æternam normam, qua sit iudicanda ueritas. Sicut & suprà de* S. *Bernhardo commemoraui, qui dixit se arbores habuisse magistras & doctrices: et se malle ex fontibus quàm ex riuulis bibere. Has uoces neutiquam edidisset, si libros patrum scripturæ æquandos putasset, ac in ijs nihil desiderasset. Quin ita potius dixisset: Perinde est, siue ex scripturæ fonte, siue patrum riuulis bibam. Verùm ipse posthabitis riuulis, anhelat ad fontes, & salientem è petra scaturiginem.*

Quid ergo nunc faciendum? An reuocabimus Ecclesiam *ad doctrinā & ritus traditos à patribus?* Totum *hoc* Conciliū *disturbat Augustinus, neq; uult nos finem ullum in nostrarum opinionum fundamento statuere: cum planè & constanter statuat, neq; patribus neq; cōcilijs, neq;* Episcopis, *quacunq; sanctitate aut doctrina præpolleant, neq; sibi credendum aut innitendum esse. Sed iubet nos sequi fontes ipsos, Scripturam sanctam,*

ctiam,& sine hac omnia dicit esse incerta & inania. Si autē hic excludimus Augustinū,tum ipsi contra nostrū institutū facimus:nempe quòd iuxta patrū doctrinā uolumus habere unam Ecclesiam. Nam cum Augustinus ex numero patrū eijcitur,tunc cæteri nō sunt admodum magnifaciendi: & nec decet, nec ferendum est in Ecclesia, ut quisquā tam morose aut fastidiose iudicet de Augustino,quasi nō sit numerādus inter præstātissimos omniū qui unquam in Ecclesia scripserūt: quandoquidē in tota Ecclesia,cùm in scholis,tum et in templis,illius autoritas longè maxima habita fuerit :& utraq;,uidelicet & scholas & Ecclesias,unus ex omnib.plurimū & utilißimè adiuuerit. Et uos tamē aduersarij eò redigere nos conamini, et ad illum infinitū ac inanißimū laborē cogere uultis,ut primū omniū patrum ueterū scripta,& Conciliorū decreta, ad scripturā conferamus,& ad illorū normā postea iudicemus. Anteq̃ hoc fiat,aut plenè fieri poßit, nos omnes q nūc uiuimus,lōgè præuertet uel mors,uel extrema dies.

Verùm Sancti Augustini, Bernhardi, & similium candidas & sinceras admonitiones seponamus:& ipsi expendamus decreta Synodorum, & scripta patrum, an uitam nostram secundum earum præscripta formare et instruere poßimus. Videamus autem primùm excellentiora

Concilia, & optima: nempe priora duo, quæ laudat S. Augustinus, Nicenum & Constantinopolitanum: quanquam neutrũ uiderit, ut suprà dixi: imò ut certioribus & firmioribus innitamur, ne incautius alicubi impingamus, omnium summum & primum concilium Apostolorum in Ierusalẽ, de quo in Actis 15. & 16. ibi Apostoli, illi summi homines, & uiri Dei, clarè dicunt per se, à spiritu sancto hæc esse constituta: Visum est Spiritui sancto (inquiunt) & nobis, nihil ultra imponere uobis oneris, quàm hæc necessaria: ut abstineatis ab idolothytis, à sanguine, suffocato, & fornicatione: à quibus si abstinebitis, bene facietis.

Hic audimus, quòd Spiritus sanctus (de quo illi Synodorũ ebuccinatores solẽt gloriari) mandat & præcipit, ut ... amus ab idolothytis, sanguine & suffocato. Si nunc uoluerimus Ecclesiam habere emendatam et reformatam secundum hoc Concilium (quod ut summũ & primum est, & ab ipsis Apostolis celebratum: ita meritò maximi faciendum est) tum nobis docendum erit publicè, & magnopere urgendũ, ne ulli principes nobiles aut ciues decætero uescantur capreis, anseribus, ceruina aut aprugna. Nam iuscula quibus hæ carnes excoquũtur, nõ tantũ pipere condiri, sed & sanguine tingi solent. Deinde igitur ab his abstinendũ nobis erit: nam hæc omnia præ-

parantur

parantur & coquuntur sanguine. & præsertim rustici, tum alij etiam patresfamiliâs posthac non audebunt uesci lucanicis, aut alijs farciminibus: nam ea quoq; non solum liquido, sed & crasso & coagulato sanguine farciuntur. Postea multo magis erit abstinendum à leporibus, cuniculis, uolucribus: nam hæc omnia suffocantur. id quod uenatores sciunt, & aucupes, etiam si sanguine non coquantur, sed tantum assentur.

Iam si iuxta decretum huius concilij, Ecclesiæ Christi & Christianis abstinendum erit à sanguine & suffocato, tum Iudæi & Rabini, illæ nouißimi temporis fęces, suis delirame̅tis & inanißimis scriptis gubernabu̅t nostram Ecclesiam. nam illi habent peculiarem immani mole librum Talmud, de esu sanguinis: & adeò superstitiose abstine̅t à sanguine, ut cum nemine gentili uel Christiano uescantur uitulina aut bouilla, etiamsi no̅ sit suffocata, sed cultro mactata, & singulari diligentia à sanguine abluta: Imò citius millies paterentur se occidi superstitiosi illi hypocritæ, quàm ullam particulam carnis à se non mactatæ attingere̅t. Deus bone, quàm miseri & afflicti essemus futuri, quibus laqueis implicati, tantum illis duobus articulis, sanguine & suffocato?

Eant nunc illi laudatores Conciliorum, & redigant Ecclesiam Christianam ad obedientia̅ hu-

ius Concilij:tum & ego libēs ſequar ipſorum exemplum.ſi uerò nō procedet hic conatus, etiam non ualde morabor illas quiritationes et clamores infinitos,CONCILIA Concilia. Aut retorquebo has uoces in ipſorum iugulum:Imò uos nō auditis concilia,nō auditis patres,cum hanc ſummam primam & excellētiſsimam Synodum,ſummos patres Apoſtolos,ipſi non ſequamini. An tu me coges,ut concilia & patres tam ſtrictè & ſanctè ſeruem, quorum decreta tu nec digitulo uno uis attingere? Profectò dicturus ipſis eſſem, quod dixi contra Sabbatharios:nempe ut ipſi primùm incipiant ſeruare legem Moyſi,tum & nos ſeruaturos. Porrò cum Iudæi legem minimè ſeruēt, admodum ridiculum eſt hoc à nobis poſtulare.

At inquis:Fieri non poteſt, ut decreta huius Apoſtolicæ Synodi nunc ſeruentur. Nam contrarium,id eſt libertas Chriſtiana ueſcendi ſanguine, nunc nimis latè peruagata eſt totam Eccleſiam. Verùm hæc nihil ad rem, cum ſemel conſtituerimus,in reformanda Eccleſia conciliorum autoritatem ſequi,& ibi clarè dicatur: Viſum eſt ſpiritui ſancto.Contra Spiritum ſanctum neq; conſuetudo, neq; diuturnitas temporis, neq; ulla huius generis ſubterfugia afferenda ſunt: nec conſcientiæ perturbatæ tranquillari his fucoſis excuſationibus poſſunt.Si ſemel Synodales facti concilia

ſequi

ſequi cœpimus, tum hoc ſanctum primum Apoſtolicum ſummum concilium præ omnibus cæteris audiendum, reuerenter & religioſe ſequendũ eſt. Sin minus, liberum eſt nobis omnia alia Concilia relinquere, & ſic liberi ſumus ab omnibus Concilijs. Nam in hac Synodo prima & ſumma, nõ ſunt mediocres Epiſcopi, aut patres, ut in alijs concilijs: ſed Apoſtoli ipſius filij Dei Domini noſtri IESV CHRISTI, pleni ſpiritu ſancto, ſummi omnium totius Eccleſiæ patriarchæ, et reuerendiſsimi ac ſanctiſsimi patres.

Deinde non eſt adeò difficile, abſtinere à ſanguine & ſuffocato. Quid ſi tantum frumento, herbis, pomis, rapis, oleribus, aut alijs rebus terra naſcentibus ueſcẽdum eſſet: ſicut primi patres ante diluuiũ his rebus uſi ſunt, cum nondum permitteretur eſus carnium? Ne tunc quidem protinus fame eſſemus perituri, etiamſi in uniuerſum carnibus & piſcibus abſtinendũ eſſet. Quia multi homines hodie uiuunt, ſatis ſani & uegeti, qui rarò carne ac piſcibus ueſcũtur. Ita nihil hic excuſat impoßibilitas, ad confirmandas conſcientias noſtras contra Spiritum ſanctũ: cum facilè, ſine magno damno corporum & animarum, res eò redigi poſſent, ut non ſolum ſine ſanguine et ſuffocato uiueremus (ſicut Moyſes præcipit) ſed & prorſus eſu carnium & piſcium abſtineremus, et

carēremus more patrum ante diluuium. Et ualde miror Satanam, qui hoc nostro seculo tot prodigiosas sectas excitauit, non etiam has speciosas cogitationes produxisse, quæ tam magnis & insignibus exemplis scripturæ defendi possunt.

Si autem dicere uoluerimus, hæc omnia iam non tantum esse impoßibilia, sed sponte iam corruisse, & uenisse in abusum, & per contrarium usum abolita esse, quemadmodum & ego Canones antiquatos & abolitos mortuos appellare soleo: tum ne hæc quidem est firma argumenti solutio. Equidem non ignoro, Papam cum suis carnalißimis Carnalibus, ex his et similibus locis quærere patrocinium, uel argumentum quo se tueantur, quasi potestatem habeant mutandi eiusmodi antiquißima statuta concilij Apostolici: sed ut in alijs ferè omnibus, ita et hic impudenter mentiuntur. Neq; enim possunt testimonium ullius Ecclesiæ producere, quæ huiusmodi mutationem fecerit, aut faciendam mandarit. Nam neq; ius habet Ecclesia mutandi decreta Spiritus sancti: neq; unquam sibi hanc potestatem arrogare uoluit, aut deinceps uolet.

Sed hic non uident cæci illi, et duces cæcorum, quòd ipsi ad suas plagas ferulas plectūt. Nam ubi hoc permissum fuerit, ut homines habeant potestatem mutādi decreta Spiritus sancti: tum mox hac

hora

hora liberrimè Papam, Cardinales cum omnibus suis chartis, breuibus, decretis, bullis in medium cœnum proprijs pedibus proculcabimus, & confidentißimè dicemus: Si decreta primi & summi Concilij, nempe Apostolorum, ab hominibus mutari poßunt, de quibus certũ est quòd habuerint Spiritum sanctum (sicut etiam dicunt, Visum est Spiritui sancto & nobis) tum multo uiliora nobis erunt omnia placita, dicta, scripta, decreta Papæ, de quibus tam certi non sumus, quòd sint ex Spiritu sancto, ut in maximis illis Dei uiris. Nam aliquid profectò, ut existimo, tribuendum autoritatis est, præ Papa, Apostolis: & si non superiores eos Pontificibus Romanis esse statuimus (ut hæreticus LVTHERVS *docet) tamen Apostolos in Apostolica sede ad latus pontificum residere patiemur. Nam Papas uel pontifices sæpe uidemus palàm flagitiosos, mõstra esse scelerum, parricidiales & perditißimos nebulones: inter quos sunt nefaria certamina de gloria, de opibus, de regno, sic ut alter alterius leges figat, refigat, mutet, uertat, euertat pro libidine, ut nullus mutationum neq; modus sit neq; finis. Spiritus autem sanctus, & solidæ et æternæ ueritatis, non potest ita pugnare secum: neq; Apostoli eiuscemodi pseudoprophetæ aut scelesti nebulones tyranni fuerunt. ideo aliquid solidius & firmius hic re-*

ſpondendum eſt: his deliramentis & inanibus logis non acquieſcet ulla pia conſcientia. Niſi forſan dicere uelimus, Eccleſiam Dei eſſe in arundinibus ædificatã, quouis flatu uel uento mobilem, quæ inclinet quocunq; locorum Papa, Cardinales, aut alij id genus homines inſania et rabie ſuarum turpiſsimarum cupiditatum agitentur. Eccleſiam autem oportet non eſſe arundine nixam, ſed fundatam in firmiſsima rupe: Matth. 7. & 16.

Nec eſt ut dicas, Per ſeſe illa corruerunt & antiquata ſunt, & non utendo uenerunt in deſuetudinem: nec Eccleſia mutauit, ergo non ſunt amplius ſeruanda. O belle amice, non ſeruando (inquis) hæc antiquata ſunt? Male, inquit Iureconſultus, quòd non ſunt ſeruata. An ideo iura & leges quaſi iam abrogatæ, uel abolitæ habebuntur, quòd contemptis legibus uicia abierũt in mores? Tum conſputatis legibus, liberè indulgeamus omnibus cupiditatibus. Clamitet & glorietur ſcortũ publicum: nam apud adulteram & adulterũ, ſextum præceptum Decalogi abrogatũ eſt. Imò nos filij Adam, & damnati unà cum diabolis, celebrabimus concilium contra DEVM, & inſultantes ipſi DEO dicemus: Audis Deus, apud nos homines & diabolos omnia tua mandata corruerunt, & non ſeruantur: ergo non obligamur ad ſeruanda: ergo neceſſariò hoc uolumus, ut tibi probetur

quod

quod nobis libet, nec condemnes nos, cum non sit peccatum, ubi per non usum abrogata lex est. Ita *fures, raptores, latrones, incendiarij, possunt iustificare semetipsos, & summis magistratibus atq; imperatoribus in faciem palàm dicere :* Non debemus, ô Reges et principes, *ullam uobis obedientiam, sed rectè facimus scelera sceleribus cumulantes. nam uestræ leges apud nos corruerunt.*

Hic nunc consule in medium, *quid faciendum sit.* Non est *satis firmum, si respondeas,* Hoc concilium Apostolorum *antiquatum esse, quod uerum est: aut, ab* Ecclesia *mutatum esse, quod falsißimū est.* Quid *hoc haberet incommodi, etiamsi expungerentur hæc uerba :* Visum est *Spiritui sancto?* Forsan *sic consuleretur rei. An tibi adeò uidetur hoc ridiculum?* Excogita *tu aliquid melius.* Nam *nisi expungas nomen Spiritus sancti, ex decretis & actis huius Synodi, tum alterutrum horum fieri necesse est: aut, ut nos & papistæ summa religione obsequamur et obediamus huic Concilio: aut, si liberum est obedire, & non obedire, ut nobis miseris hæreticis tandem molesti esse desinant cum his suis clamoribus, Concilia, concilia, concilia.* Nam *si hæc Synodus non est sequenda, tum nec alijs Synodis obediendum : & econtrà aduersarijs nostris audiendi hi clamores, Medice cura te ipsum, Socie teipsum naso apprehende.* Obediant

primùm ipsi illi clamatores huic summo Concilio, tum ultro sequemur: sin minus, tunc illud constat, quòd has uoces non aliquo zelo urgeant, sed tantum ut derideant & exagitent homines, & scelerate ac paricidiali perfidia & malicia terreant cõscientias, ad perdenda tot milia animarũ.

Ego hæc de hoc Apostolico concilio tantum in hoc dissero, eo quòd hæc Synodus est omnium prima, summa & excellentißima: ut ita tamen paulo attentius præmeditemur, & consideremus has res tantas, antequam totius Ecclesiæ formam & statum, totam uitam Christianorum secundum concilia reformari & emendari postulemus. Nam cum hoc unicum concilium tantum pariat nobis disputationum & perplexitatum, quid futurum esset, si & aliorum Conciliorum decreta expendamus, & tanquam immota tueamur? Equidem ipse fateor, nihil esse facilius, quàm nominare uocabula Synodus, Concilium: & quid est facilius, quàm subinde exclamare tragicè, Concilia, concilia, sunt audienda, seruanda, &c? Verùm ut conciliorum etiam summorum decreta ex inferis reuocentur, illud'ne itidem facile?

Hic quid dicetis, boni uiri? Papa quidem cum suis cardinalibus hic facilè elabitur, & confidentißimo fastu gloriatur, se unum esse supra omnia concilia, seq; posse seruare quatenus uult, & alijs

quoq;

quoq; imperare quatenus uidetur. Verùm si ita potest consuli his rebus, tum de uocabulo & etiā his clamosis concionibus, Concilia seruanda esse, sileamus, & clamemus: Papa, Papa, Papæ doctrina seruanda est: tum nos bellè euademus, & pulchri Christiani efficiemur, sicut ipsi sunt. Nam quid nobis profuerit concilium, si decreta eius seruare nec possumus, nec uolumus, sed tantum de uocabulo et syllabis his quatuor gloriari libet? Aut, quòd mihi bellum, & dignum papistis uideretur (ut etiam hoc tempore aliquid aspergam ioci) si tantum de apicibus literarum & syllabulis his (Concilium) agitur: tum copijstas (ut uocant) Romanæ curiæ, aut similes scriptorculos conducticios creemus in Papam, Cardinales, faciamus eos concionatores: illi has literas possent bellè pingere, magnas paruas, deauratas nigras, rubeas, uirides, cæruleas, ut placeret. Tunc uellemus gratulabundi plaudere in uacuo theatro, quòd Ecclesia secundum concilia reformata sit. Si enim non opus est seruare ea quæ in cōcilijs ordinata sunt, tum Ecclesiæ esset consultū solis his quatuor syllabis, Concilium. Si autem pictæ literæ displicebunt, tum ad pictores, fabros, sculptores, typographos confugiamus, qui nobis concilia pingant, fabricent, sculpant: Ita demum præclarè ageretur de Ecclesia. Verùm illud etiam faciendum foret, ut

ut illos artifices omnes crearemus pontifices, cardinales,& episcopos. Nam nihil refert,an seruentur decreta Concilij:tantum de hac uoce agitur, Concilium.

Sed præter illa omnia, quid si omnes homines essent cæci, & scripta, picta, sculpta, typis pulchrè formata Concilia non uidere possent: quæ tum iniretur ratio, ad reformandam Ecclesiam per concilia? Ibi consulo,ut papistæ ad suos Chorales Magdeburgæ uel Halberstadij confugiant, ac pro symbolo Quicunq;,quod Stẽtorea uoce canere solent,uociferari iubeantur,Concilium,Conciliũ.Hi enim possent exaudiri ultra Albim,etiãsi omnes cæci essemus:atq; tum Ecclesia probè esset gubernata. Quin etiam chorales illi euehendi essent ad Pontificatum summum, & Cardinalicium fastigium,ut qui tam facilè reformare possent totam Ecclesiam. Sed paulo pòst plura de hoc concilio Apostolico subijciam. excrescit enim mihi hic inter manus prolixitas, dum in hac parte longius immoror.Sunt etiam quædam necessaria de Nicena synodo dicenda,quæ est optima & prima uniuersalis Synodus,post Apostolorum concilium.

Hoc Concilium Nicenũ inter alia statuit,Christianos,qui lapsi sint,rursus recipi debere ad pœnitẽtiam,spacio septem annorum.Si uerò interim

ueniant in horam mortis, tum absoluendos esse, et liberandos, nec sacramentum eis esse denegandū. Hoc decretum tamen illi ebuccinatores conciliorum iam non seruāt, sed planè contrariū faciunt, remittentes Christianos interim moriētes in purgatorium, cum reliqua pœnitentia. Nam si Papæ obediendū esset huic statuto concilij Niceni, Deus bone, ad quàm sordidam mendicitatem redigeretur, cum omnibus suis monasterijs? si huius quæstus, & argentifodinæ suæ, & illius lucri quòd de purgatorio, Mißis pro defunctis, peregrinationibus, fundationibus, fraternitatibus, indulgentijs, bullis habet, repentè iacturā faceret: custodiat Papam Deus ille, quem colit. Sathan custodiat inquā Cardinales, Episcopos, Monachos, Nonnas, ne Ecclesia secundum hoc concilium reformetur, &c. Nam quorsum redigerētur miserrimi? Sed cum hæc res tantum spectet meam personā, ut qui tanta uehementia & impetu contra Papam de illa contendi: et facilè conijciam, quomodo huius Synodi uerba aduersus me possent retorqueri: iam missum faciam hoc Conciliū, & hoc agam quod ad ambas partes utrinq; pertinent & ad refutandos conciliorum ebuccinatores.

Inter cætera statuit etiam hoc Concilium, eos qui militiam relinquunt propter religionem, & deinde rursus ad militiam redeunt, pœnitentiam agere,

agere, et inter Catechumenos quinquennium uer-
sari debere: deinde post bienniũ admittendos esse
ad Sacramentum. Hoc in loco uocabulum Re-
ligionis sic accipio, ut significet doctrinam catho
licæ Christianæ fidei, de qua latius infrà. Neque
ullam nunc disputationem mouere uolo, ne ab in-
stituto auocer incidentibus quæstionibus, An con
cilium Nicenum prohibeat bella, an uerò & qua-
tenus autoritatem alijs tribuat interdicendi bella,
eaq; damnandi: præsertim cum bellatores alioqui
non abnegent fidem. Qua de re paulo antè di-
ctum est.

Sed illud hîc agitur, an eiusmodi articulus ha-
ctenus obseruatus, & an decretum hoc Synodi Ni
cenæ in posterum seruandum sit, ut iam nullus mi
les saluus fieri, aut Christianus esse poßit. Nam
hunc articulum esse abolitum & antiquatum, lon
géq; difficilius aut minus restitui posse quàm A-
postolorum decretum de suffocato & sanguine,
ut suprà dixi, Papa & omnes eius sectatores ipsi
testes erunt. Itaq; loquitur conciliũ Nicenum non
de latronibus, raptoribus, hostibus: sed de mili-
tia, id est, de legitimo bello, cũ aliquis princeps,
rex uel imperator aperto Marte cum hoste con-
flictatur in acie, ubi DEVS ipse præcepit &
uult milites ipsis parêre: Rom. 13. etiamsi duces
uel magistratus ethnici sint, modò ne cogant nos
contra

contra conſcientiam bella gerere cum DEO: ut S. Mauritius & multi alij fecerunt.

Agite ergo inſtituamus emendationē Eccleſiæ ſecundum hoc concilium. Primùm ſoluamus baltheos Imperatori & regibus, iubeamus Cæſarem abijcere gladium. Deinde uniuerſo orbi mandemus pacem, ne præbeantur occaſiones bellis aut diſsidijs ullæ ab ullo homine. nam Concilium Nicenum prohibuit omnia bella ſub pœna pœnitētiæ ſeptem annorum. Quid requirimus amplius? Eccleſia iam eſt reformata, non eſt amplius opus bellatoribus: Diabolus eſt mortuus: & omnes illi anni qui ſunt elapſi inde uſq; à temporibus concilij Niceni, fuerunt illa aurea ætas, qualem fuiſſe poetæ regnāte Saturno fabulantur. Imò illa fuit uerè beata uita, & illa ſempiterna quies, ſaltem ſi concilij ſtatutū pium, uerum & ſeruandum eſt.

Oporteret uerò nos hîc habere excellentes artifices, qui nobis pingerēt ob oculos talem ideam Eccleſiæ, tamq; illuſtrē, ut poſſemus eam cernere oculis: aut ſi carendum eſſet oculis, oporteret nos habere clamatores multo acutiores & robuſtiores, quàm ſunt chorales Halberſtadienſes, quos tandem poſſemus exaudire. Fortaſsis ſcribæ Bibliophororum, aut myropolarum etiam poſſent pingere has literas, CONCILIVM: ut qui plures habent colores & literas, ac exactius pingere

gere possunt, q̄ nos miseri Christiani. Sed quia res non amplius adest, non possumus per literas imagines & clamores tantum saluari.

Nos aliter de re tanta decet disserere: & Papistis saltem literas, picturas & illos ferales sonos concedere. Nos decet uiuere iuxta decreta Conciliorum, nec tantum inanißimas literas, CONCILIVM, uanißime & stolide iactare, cū Christiani esse uelimus. Ais autem, hoc decretū Synodi esse intelligēdum de talibus Christianis, qui sua sponte castra sequūtur, quæstus aut lucri causa: tales meritò damnandi sunt extreme. alioqui tantum esset cauillatio & ridicula sophistica, si Concilium legitima bella, uel obedientiam debitam magistratib. politicis, tantopere condēnaret.

In nomine Domini: Ego libenter uolo esse indoctißimus fatuus & asinus, qui profectò Concilia etiam facio maximi. Flectas & rapias tu ista in quemuis locum, mea pace tibi licet. Saltem illud cedo, an tu interfueris Concilio Niceno tunc temporis, quando hic articulus est conditus, cum tam asseuerāter de tali interpretatione affirmare ausis? Sin minus, ubi legisti illa? Nam articulus disertè dicit de MILITIA: non dicit de iniustis bellis, quæ damnari uoce Conciliorum præter rem foret, cum omnes Ethnici non ex uerbo Dei, sed tantum luce naturæ cōmonefacti ea damnēt:

ut

ut qui nec Christiani sunt, nec Concilia horribiliter damnent.

Cum aliquis rex uel princeps mouetur grauibus et necessarijs causis, ut se defendat, aut illatam propellat à se iniuriam, illum oportet colligere copias undecunque potest. Iam si omnes illi damnarētur qui in militiam proficiscūtur, quomodo se res habebunt regum, imperatorū, principum, cum iam ferè nulli habeantur alij milites, quàm sunt illi ipsi quos fama belli in peregrinas regiões adducit? Dicas tu mihi, an soli principes & monarchæ in propria persona inuicem confli ctantes, singulari certamine in mutua uulnera grassabuntur? An uerò ex storijs aut iuncis uirūculos contexent, dimicaturos in acie cum hoste? Et quæras tu consilium à Concilio, an hoc sit faciendū. Enimuerò dictu facillimū est, Concilium præcepit ista: cum literæ saltem obiter aspiciuntur, ut uacca aut bos aspicit pictam tabulā. Nec interea ulla est cogitatio de rebus, quid principaliter eò pertineat aut spectet, quæ sit intentio et mens Concilij, quæ ipsius decreta seruāda sint. Et cur Pontifices & episcopi deinceps ipsi non seruarunt? qui occasiones præbuerūt infinitis bellis & dissidijs, & effusioni sanguinis humani, & similia etiamnum faciunt sine cessatione: interea nihilominus declamitantes perpetuò, Concilia

Concilia, Patres patres: ita tamē, ut liceat illis impunè contrà facere, & illa saltem excerpere quæ à nobis fieri et seruari sine conditione uolunt. Eia Luthere, profectò hac ratione posses conciliū Nicenum grauare inuidia, uel suspicione seditionis, aut facere reū de crimine læsæ maiestatis. Si enim nunc ita doceremus, quòd Imperator & milites (qui propter necessarias & graues caussas bella gerunt) sint damnati, meritò iudicaremur esse seditiosi, ex nostris proprijs scriptis. Ego iam sum inquam, & cogor esse addictus partibus Concilij: postea de hac re plura dicam, & meipsum declarabo.

Iam dicam hoc quòd suprà dixi, Concilium nō potest aliter loqui quàm de ordinaria militia, qualis tunc fuit in usu per totum Romanū imperiū, tam sub illo ipso imperatore Constantino, quàm fuerat antea sub ethnicis. Erant uerò ibi pedites uel pedestres copiæ, qui tunc temporis nominabantur milites scripti, ciues in urbibus, qui habebant annua stipendia perpetuò, ita ut mortuo aut senescente patre illico filius succederet patri in militia, & quidem cogeretur, ut hodie hunc morem seruat Turcicus Imperator. Aliqui narrant, quòd rex Gallarum penè similem habeat morē in Heluetia, & stipēdia militaria numeret etiam infantibus. Verùm hæc relinquo in medio.

Ita

Ita etiam equites erant sempiterni & hæreditarij bellatores, & habebant sua stipendia, ac uocabantur Equites. *Tales equites ferè nunc sunt nostri nobiles, quos oportet perpetuò esse instructos equis & armis: inde habent sua feuda. Ita ut* Romanū *imperium perpetuò aluerit certum numerum peditum et equitum, & habuerint utrique perpetua stipendia. Hæc historica ideo recito, ut* Concilij *decretum rectè intelligatur: nempe quòd non poßit aliter, præterquam de ordinaria militia exponi, cum loquatur de exercitu* Romano, *in quo iuxta* Pauli *doctrinam multi* Christiani *merebant: ut erant,* S. Mauricius *cum suis socijs,* Iouinianus, Gratianus, Valentinianus, Theodosius, *&c. antequam essent salutati* Imperatores. *Verùm si licuit ante* Baptismum *merere sub* Imperatoribus *ethnicis, cur non etiam licuisset post* Baptismum *rursus, etiam* Christianis *Imperatoribus in bello seruire?*

Nisi forsan religio hic non uocetur fides Christiana, *sed potius monachatus.* Hic *uerò quasi quidā* Proteus *uinculis constrictus tenerer, & iuxta decretū huius* Concilij *rursus mihi foret induendus cucullus (si tamen hoc facere uellem) nec scirem, ubi nam in cœlo esset inueniendus* S. Petrus, *siquidem antea fuerit in terris piscator, & post* Apostolatum *rursus functus sit officio piscatoris,*

toris, quod tamen antea in gratiam Christi deseruerat.

Iam siue religio uocetur Monachatus, cum tamen istis temporibus non fuerint ulli ordines, aut monasteria, aut Monachi: quanquam paulo pòst subitò cœpit serpere hæc contagio, & latè grassata est. circa illa enim tempora uixit Antonius cum suo cœtu, quem ipsi patrem & autorē nominant omnium ordinum. Sed tunc temporis Monachus idem fuit, quòd nos nunc uocamus Clausularium uel Heremitam: sicut etiam Græcum uocabulum μόναχος idem sonat quod Solitarius, id est, qui ab omnium hominum consorcio & consuetudine semotus, solus degit in aliqua sylua aut solitudine, uel alioqui uiuit in loco solitario. Ego iam nō scio exempla, nec credo fuisse tales monachos intra annos 1000, uel amplius. Nisi fortè miseros homines, qui tenentur captiui in turribus aut alio genere carceris ignominiosi, libeat nominare monachos: qui reuera sunt Monachi, quia ab omniū hominum conspectu & colloquijs semoti, sedent solitarij. Illi qui sic nominantur in Papatu, multo magis uersantur cum hominibus in cœtu, & minus sunt solitarij quàm ulli homines. Et quod genus, qui gradus hominum, in mundo magis uiuit apud & inter homines, quàm tales Monachi? nisi aliquis uellet sic cauillari: Monasteria quæ sunt

ædificata

ædificata in urbibus, aut ad uias publicas, non esse inter homines.

Sed omittamus grammaticam, ac de re ipsa disputemus. An hic uocatur religio monachatus, qui fuit tunc temporis? Cur hoc Conciliũ damnat militiã, id est, obedientiã debitã magistratib. politicis? An damnat ideo, quòd monachi subditi magistratibus per talem obedientiam, non saluentur?

Esset quidem utcunq; tolerabile, monachatum laudari: sed quòd ordinaria militia eregionè tam asperè damnatur, quasi S. Antonius non posset bona conscientia seruire Imperatori, hoc nimis est durum. Nam unde tandem Imperator accepturus esset homines idoneos ad bella, si omnes uellẽt fieri monachi tali prætextu, quasi non esset licitum seruire in militia? Quæso dicas mihi, quantum abest hæc doctrina à seditione, præsertim si nos sic doceremus? Cum tamen nos sciamus, quòd uita monastica spontè electa, non sit mandata diuinitùs, sed obedientia. Ac ut maximè uellent fugere monachi ex mundo, deberent honestè et apertè fugere, nõ deberent post se relinquere fœtorẽ: id est, non deberent sua clãdestina fuga suspectos aut contemptos facere alios uitæ gradus uel functiones, quasi essent res damnatæ & pollutæ, & ipsorum uestes ac cuculli tãtum olerent balsamũ.

Nam perinde sonat, cum quis fugit & abdit se in monasteriũ, quasi diceret: Hui proh dolor, quàm sordent homines, & ipsorum officia, omnes ipsorum labores quàm sunt abominabiles & detestandi: ego uolo saluari solus, alij sanè proni se præcipitent in media tartara, & infernales abyssos. Si Christus etiã sic fugisset, & esset factus talis sanctus hypocrita uel Monachus, quis pro hominibus esset mortuus? quis satisfecisset pro nobis miserrimis peccatoribus? Fortaßis illi μισάνθρωποι monachi, cum sua fugitiua & aspera uita, scilicet. Verum est, S. Ioannes Baptista etiam fuit in deserto: attamen non prorsus extra omnium hominum consuetudinem. Postea enim rursus prodijt in cœtus publicos, posteaquam ætatem uirilem attigit, & est concionatus. Christus erat (ut & Moyses in monte Synai) 40. dies prorsus sine hominibus in deserto, inter feras & bestias, nihil comedens aut bibens: uerùm postea etiam redijt ad homines. Agite, si uolumus, habeamus utrosq; pro heremitis, uel monachis: neuter tamen damnat stipendiariorũ militum uitam, uel conditionem, etiam cum ipsi nõ sint milites. Ioannes enim blandis & amantißimis uerbis eos ut honestos homines alloquitur, inquiens: Estote cõtenti stipendijs uestris, & neminem concutiatis, neq; calumniemini. Christus uenit ad ædes centurionis in Capernaum,

pernaum, sanaturus ipsius ministrū, qui hauddu biē etiam meruit pro stipendio: nec tamen iubet eum hoc uitæ genus deserere, sed clara uoce prædicat ipsius fidem, adeò ut dicat se nihil reperisse simile in uniuerso Israele. & S. Petrus permittit Cornelio *in Cæsarea, ut etiam post baptismū maneat miles, unà cum suis militibus qui erant stipendiarij populi* Romani. *An non multo magis S. Antonius cum suis monachis, hanc diuinam ordinationem sua noua & propria persuasione ac conficta sanctitate nō debuisset defœdare, cum tantum fuerit idiota, omnium literarum rudis, neque unquam uersatus in ministerio?* Bene credo, *quòd fuerit homo magni et ardentißimi spiritus, ut & alij fuerunt, ipsius discipuli. Sed hæc res plena fuit scandali & periculorum: & tamen ita seruatus est in illo errore uel peccato, ut alij electi in suis peccatis & scandalis tamē seruantur. uerùm exemplum suæ uitæ nullo modo est probandum: sed exemplum & doctrina Christi et Ioannis laude digna, & docentibus in* Ecclesia *necessariò imitanda est.*

Siue igitur iam uocetur religio, fides Christiana, siue uocetur monachatus, certè hoc sequitur ex decreto huius Concilij, *quòd militia, quæ tunc temporis erat politicæ ordinationi debita obedientia, non inobedientia coram* Deo, *aut sor*

saluandi: aut illud affirmandum, quòd in periculosa & sordida obedientia uiuant, nec Deo seruiant. Sin decreuerimus nos non uelle assentiri huic Concilio, tunc in uniuersum omnia erunt reijcienda, quia unum æquè bonum est atq; alterum, cum unus & idem Spiritus sanctus gubernet illa omnia. Nos uerò Concilia neque in chartis descripta, nec in tabulis depicta, aut in ære sculpta flagitamus; sed in facto, & in exequutione illa tota res consistit.

Sed nescio qualis me horror & uertigo concutiat, suspicantem sanctos patres hunc articulum nequaquam cōdidisse, ut qui sine dubio rationem habuerint ea in re Constantini imperatoris, qui eos antea liberauerat à crudelitate & sæuitia tyrannorum, non monastica S. Antonij, sed ui et bello. Hæc res habet speciem, quasi alij ueteratores Episcopi illa miscuerint decretis sanioribus, aut uelut centones disputationi principali assuerint.

Item illud idem Concilium decreto sancit, ut Romanus Episcopus pro more ueteri suburbicarias ecclesias habeat commendatas, sicut episcopus Alexandrinus Ecclesias in Aegypto. Ego nec uolo nec possum interpretari, quid sint suburbicariæ, cum uocabulum non sit à me confictum: nisi quòd sonat ecclesias, quæ hactenus in Italia uicinæ fuerunt Romanæ ecclesiæ. Sicut Ecclesiæ

in Aegypto uicinæ fuerunt Alexandrinæ ecclesiæ. Decernat alius, quod libuerit: ego tamen hoc mihi uideor subodorari, quòd hoc Conciliũ non tribuat imperium Romano episcopo in uicinas Ecclesias: sed illi commendat tanquam pastori, ut eas inspiciat, & salutaribus consilijs adiuuet, sustentet atq; instruat.

Nec tamen ideo commendat, quòd cogatur iure diuino: sed facit hoc pro more antiquitùs recepto, uel ueteri consuetudine. Consuetudo uerò, nõ est scriptura sancta, aut uerbum DEI. Insuper etiam eripit Ecclesias in Aegypto (etiam more ueteri) episcopo Romano, & commendat eas Alexandrino episcopo. Eadem ratione hoc quoq; est consentaneum, quòd Ecclesiæ Syriacæ fuerint commendatæ Antiocheno uel Ierosolymitano episcopo, non Romano, ut quæ longius fuerint dissitæ à Roma, quàm Alexandria uel Aegyptus.

Iam si ualere debet huius Concilij autoritas in nostris Ecclesijs, & magnificari: prius oportebit nos damnare Romanum Pontificem, & ex Ecclesia eijcere, tanquam tyrannum, & omnes suas bullas & illam immanem molem Decretalium semel tradere flammis & ignibus. Nam omnino nulla bulla est, nulla pagina in Decretalibus, in qua nõ detonet, rugiat & fulminet, quod ipse sit omniũ Ecclesiarum in toto terrarum orbe supremum ca

put,

put, & dominus cui omnia parêre, & ad cuius nutum moueri & uiuere oporteat omnes qui saluari uolunt. Quod si uelis planè dicere, sic dicendum erit: Conciliũ Nicenum est falsum & haereticum, & omnium calculis damnandum & detestandum, quòd hoc imperium aut dominium in omnes Ecclesias mihi adimit, & Episcopo Alexandrino potestatẽ parem tribuit. Attamen Turca & Sultanus multo ante decretum huius Concilij, per uastationem uel euersionem Alexandriae ita exposuit, & edocuit, ut nec Papae nec nobis opus sit ea de re esse sollicitos. Hic discimus, quòd Conciliorum decreta non omnia aequaliter sunt perpetua & immota, ut sunt articuli fidei.

Item, Concilium hoc sancit, quod illi qui seipsos castrant, ad euitandas multiplices & ineuitabiles flammas & incendia libidinum, non debeant admitti in ordinem clericorum, aut diacónorum. Econtrà illud etiam sancit, ne Episcopi ullam uxorem in contubernio habeant, nisi fortè sit mater, aut soror, aut sorores patris uel matris, aut similes cognatae. Hic prorsus non intelligo sanctum Spiritum in hoc Concilio. Si illi pro idoneis non sunt reputandi in ministerio Ecclesiastico, qui seipsos castrant ad uitanda libidinum incendia: & rursus illi etiam non sunt idonei, qui ad euincendos carnis stimulos habent aut ducũt uxo-

res,

res, iuxta Consiliū S. Pauli 1. Cor. 7. quò res tandem cadet? An debebit Episcopus aut cōcionator illum intolerabilem ardorem & æstum amoris illiciti sustinere, & neq; coniugio neq; castratione se ab his periculis liberare? Nam quid opus est multis mandare illi qui habet uxorem, ne in alienas uxores deperеat, quod ne laicis quidem et maritis licet? Ita nec matris, nec sororis, nec cognatæ pudicitia esset periclitatura, si Episcopus haberet uxorē: nō opus esset seuera prohibitione. An uerò nihil aliud est negocij Spiritui sancto in Concilijs, quàm ut impoßibilibus, periculosis, nō necessarijs legibus suos ministros obstringat & oneret?

Narrant Historiæ, quòd S. Paphnutius, uir pietate et spirituali sapientia excellens, in eodē Concilio contradixerit Episcopis, cum uellent prohibere coniugium etiam illis qui ante consecrationem duxissent uxores, & uellent etiam inter illos soluere uinculum coniugij, qui se antea data fide mutuò obstrinxerant, utpote inter coniuges. Verùm ipse suasit, ne hoc facerent: affirmans illam etiam esse castitatem, si maritus cum uxore castè uiueret in coniugio. Aliqui scribunt, quòd obtinuerit: sed hæc duo decreta sonant, quasi Episcopi perrexerint, & simpliciter prohibuerint coniuges. Erant enim ibi multi indocti pseudoepiscopi, ad-

pi, admixti pio cœtui & sancto Concilio, ut Ariani cum sua secta (quod perspicuè ostendũt historiæ) qui fortaßis etiam aliquid contulerunt errorum, qua de re postea latius dicemus. Iam uerò aliquãtisper à commemoratione de Concilijs desinemus, & patrum testimonia etiam considerabimus. Quanquam Augustinus aliquantulũ nos perturbat in eo, quod nõ uult in diuinis fidem haberi ulli patrum, ut suprà diximus: sed licet omnia uelit esse captiua & subiecta testimonijs scripturæ sanctæ, tamen ipsos quoq; uideamus.

S. Cyprianus, unus ex antiquißimis patribus, (qui multis annis uixit ante Concilium Nicenum, temporibus martyrum, sicut ipse quoq; fuit constantißimus martyr) docuit, & mordicus illam opinionem retinuit, quòd baptizati apud hæreticos essent rebaptizandi: & in hac opinione mansit usq; ad tempus supplicij, etiam cum fidelißimè admoneretur ab alijs Episcopis. Et S. Cornelius episcopus Romanus, qui tunc temporis etiam est affectus ultimo supplicio, noluit cum ipso sentire. Et S. Augustinus postea ualde se torquet, cum uult eum excusare: tandemq; eò confugit, ut dicat, hunc errorẽ per sanguinem ipsius, quẽ propter CHRISTI dilectionem profudit, ablutum esse. Sic loquitur S. Augustinus, & damnat doctrinam S. Cypriani de Anabaptismo: sicut postea

perpetuò

perpetuò (ut damnari debuit) condemnata est. Sed Cyprianum facilè habebimus excusatum, ut in quo nobis exemplũ illustre proponitur amplitudinis gratiæ, & dulcißimæ consolationis, quam habẽt sancti in filio Dei: uidelicet quòd etiã summi sancti sint infirma massa peccati, & facile errent: sicut S. Cyprianus, excellens uir, & insignis martyr, profectò in rebus alijs ualde magnis turpiter hallucinatur, qua de re nunc dicere non est instituti nostri.

Sed quid dicemus de patribus, qui eiuscemodi doctrinam in S. Cyprianum quasi hæreditariam transmiserunt? Lege Ecclesiast. histor. lib. 7. primo & 2. folio, quid præstans ille uir Dionysius Alexandrinus de illa re scribat ad Sixtum episcopum Rom. & quid ipse sentiat & dicat: nempe ante illa tempora, antequam Episcopi in Africa hoc fecissent, ab alijs magnis Episcopis esse factũ, et Iconij in Synodo cõclusum. Ergo hanc tam magnam caussam bene esse expendendam inquit, antequam damnetur. Præterea clarè in Concilio Niceno exprimitur hic articulus, hæreticos Paulinianistas seu Photinianos rebaptizandos esse. Quo articulo S. Augustinus in lib. De hæresibus grauißimè perturbatur, & offenditur. Nam cum satis acrium certaminum habuisset contra Anabaptisticos Donatistas, tandem tamen ad excusandũ

decretum

decretum concilij Niceni, conatur his uerbis calli dè elabi: Credendum est, inquit, Photinianos non seruasse ueram formam baptismi, sicut alij hæretici obseruarunt. Sed difficile est assentiri illis quæ caret probatione, seu firmis argumentis, propter quæ assentimur. Photiniani enim non habebant, neq; faciebant aliud Euangelium, quàm reliqua tota Ecclesia habebat. Ergo magis credendum, quòd communi formâ usi sint. Nam hæretici semper solent iactare autoritatem scripturæ. Ita Anabaptismus stabit & defendetur contra Augustinum & nos omnes, cum Nicenum concilium & præterea alia Concilia & Patres cum Cypriano sentiant.

Præter illa omnia, Canones Apostolorum extant toties typis excusi, & paßim sparsi, ut Ecclesia eò melius gubernetur scilicet. In ijs continetur & hic Canon: Sacramēta hæreticorū & Baptismum pro nihilo habenda esse. et, Baptizatos ab ipsis rebaptizandos esse. Hinc facili cōiectura hoc colligitur: Si Apostoli hoc ordinauerunt, quòd sequenti ætate per uetustiores patres & Concilia (sicut S. Dionysius inquit) ūsq; ad Cyprianum, & ab illo usq; ad Concilium Nicenum propagatum sit. (Cyprianus enim ante concilium Nicenum fuit) Si inquam hoc Apostoli ordinauerūt, tunc firma stat Cypriani sententia, & iacet Au-

gustinus

gustinus cum omnibus cōtrà scribentibus, & nos qui cum ipso sentimus. Quis enim sciens se opponet ipsis Apostolis? Si uerò hoc Apostoli non constituerunt, tunc digni essent autores eiuscemodi adulterinorum librorum, qui plecterētur, furca, gladio, et quouis diro supplicio. Quid enim flagitiosius est, quàm tales libros spargi sub nomine Apostolorum in Ecclesias tot nationum & gentium? Digni etiam essent, quibus in nullis alijs libris, rebus aut negocijs, haberetur fides: cum ipsi & Papistis adhærētes sine fine tales libros ebuccinent, quibus ne ipsi quidem credunt: & tamen nos superbè onerant his literis & syllabis, CONCILIA, Patres: quæ melius mihi aliquis choralis in Halberstad Stentorea & ferali uoce proclamare posset, si tantum ageretur de his uocabulis & literis (CONCILIVM,) quibus tamen solis ipsi occupantur, & interea nos turpiter & perfidiose decipiunt.

Si nunc S. Cyprianus, canones & regulam Apostolorum pro se habuit, & concilium Nicenū, item alia plura, quomodo Patres cōcordabimus? Apostoli cum Cypriano uolunt, Baptizatos ab hæreticis rebaptizandos esse: S. Augustinus cum tota Ecclesia concludit, esse contra scripturam: quis interea concionatur Christianis, donec hæc lis tandem dirimatur & componatur? Nihil est

facilius

facilius, quàm more præstigiatorum ludere cum uocabulis Patrum & Conciliorum, & ueteratoriè abuti sanctißimis nominibus, ad suspēdendum uel impediendum Concilium uerum & liberum: ut iam Papa fecit totis uiginti annis. Nec quisquā in tam magno numero Episcoporum cogitat de infinitis milibus animarum, quæ syncero uerbo DEI, et certa firmaq; cōsolatione conscientiarū pascendæ essent: ut inquit CHRISTVS, Pasce oües meas.

Sanctum Cyprianum eatenus excuso, quatenus non fuit talis Anabaptista, quales nostro tempore sunt monstra illa. Nam ipse sentit, apud hæreticos nullum prorsus esse sacramentum: ideoq; baptizatos apud illos, censet esse rebaptizandos, ut alios qui nunquam acceperunt baptismum. Et cordis eius intentio seu error est, non stabilire Anabaptismum, sed ut baptizet non baptizatos gentiles. Quia prorsus nihil scit de Anabaptismo, multo minus statuit esse efficacem: sed tantum credit unum uerum Christianum baptismum. Verùm nostri Anabaptistæ fatentur, apud nos & Papistas uerum esse baptismum: sed quia ab indignis datur uel suscipitur, negant esse baptismum. Hoc Cyprianus non concesßisset, ac multo minus sic rebaptizasset.

Hoc quidem de S. Cypriano martyre pro medico, de quo admodum reuerenter & magnificè sentio, quod attinet ad personam & fidem eius. Nam genera doctrinarum sunt subiecta huic uerbo scripturæ & Spiritus sancti: Omnia probate, &c. Verùm hæc non sunt nostri instituti, quæ de ipso diximus. Illud agimus principaliter, quomodo patres cōcordētur, ut simus certi de genere doctrinæ quod sonare debet in Ecclesia, ut erudiantur pij, & conscientiæ conterritæ erigantur, & corda firmam ac æternam habeant consolationē. Nam hîc Apostoli & S. Cyprianus, cum S. Augustino et Ecclesia, de magno articulo (Baptismi scilicet) discordāt. Si sentētiæ subscribimus Augustini, tunc Apostoli nobis cum suis Canonibus damnandi, & Concilium Nicenum cum ueteribus patribus & Concilijs unà cum Cypriano abijciendum erit. Econtrà si Canon Apostolorum & Cypriani sententia stat, tum S. Augustinus errat unà cum Ecclesia. Quis interea prædicabit, aut baptizabit, donec rursus coeat inter nos iusta cōcordia? Et quia Papistæ, canones Apostolorum, Concilia & patres contra nos adducunt & citāt, & (quo magis credas) quidam etiam decreto Gratiani inserti sunt: quòd si hic agger aliqua occasione rumperetur, ita ut illorum canonum aut Conciliorum unum aut alterum deprehenderetur

esse

esse erroneũ & hæreticum, sicut hic articulus est de hæreticis rebaptizandis: quis tunc prohibere posset, quo minus hic fluuius omnia loca latè cõpleret, & ipsi fluctus & sonitus procellarũ quodam prodigio latrarẽt contra Papistas, *ipsos esse palàm mendaces in omnibus quæ scribunt, dicũt, edunt, in omnibus sermonibus et clamoribus suis: & planè indignos, quibus uel de uno uerbulo credatur, quantumuis Conciliorũ, patrum,* Prophe*tarum &* Apostolorum *titulos suis imposturis prætexant.*

Verùm interea dum ita curiose excerpimus, exculpimus ex patribus, Concilijs, nos quod nobis uidetur, & uicißim illi quod ipsis placet, nec cõcordare poßumus, cum ipsi patres tam inter se non sint cõcordes, quàm sunt ipsa Concilia: quæso te, quis interea uera & salutari doctrina pascit animas, quæ de illis contentionibus et curiosis quæ ritationibus nihil sciunt? Hoccine est pascere oues CHRISTI? *Cum ipsi doctores ignorent, pascua ne sint, an toxica, fœnum ne an uenenum: interea ne trepidi & luctantes animi in dubitatione relinquẽdi sunt, donec tandem res ad finem deducatur, &* Concilium *cõcludat?* Ah quàm ma*lè* CHRISTVS *prospexisset* Ecclesiæ *suæ, si uoluisset sic teneri suspensos animos.* Nullo modo uoluit. Omninò *enim alia, & maior est cœle-*

ctis doctrinæ certitudo, quàm quæ ex Concilijs et patribus petitur. Aut inde usq; ab Apostolorum ætate prorsus nulla fuit Ecclesia, *quod nullo modo uerum est: quia in Symbolo claris uerbis dicitur,* Credo *unam sanctam* Ecclesiam Catholicã. *item,*Ero *uobiscũ usq; ad cõsummationem seculi.* Hanc *promißionem necesse est ratam & firmam esse, etiam si omnia* Concilia *& patres ueteres in toto mundo fallerent.* CHRISTO *enim manet firmus & immotus hic titulus,* EGO SVM VERITAS. *Patres et Concilia præ filio* DEI *gerũt hunc titulũ,* OMNIS HOMO MENDAX: *præsertim cum à uerbo reuelato, seu manifestis scripturæ testimonijs discedunt.*

Hoc *dico non propter nostros* Euangelicos, *quibus postea bene ostendam quid sint* Concilia, *quid patres, quid* Ecclesia, *si forsan ignorarẽt, sicut profectò* Dei *beneficio hactenus non ualde se cruciarunt in explicatione harum quæstionum: sed propter clamatores illos, qui putant nos* Concilia *non legisse. quanquam* Concilia *non omnia legi, nec unquam legam omnia, tantam iacturam facturus temporis, quod insumpsi, cum quatuor uniuersalia* Concilia *accuratè et attentè legerem, & longè attentius quàm ullus aduersariorum, id quod certò scio.*

Atq; *ideo sciens & prudens tam ero audax, ut:*

exceptis his quatuor uniuersalibus Synodis, omnes alias in minori precio habiturus sim, etiam si eas tanquam bonas & tolerabiles probaturus essem, aliquas scilicet saltem: quod quidem rectè uolo intelligi. Cæterùm ita mihi persuadeo, mihi notiores esse ueteres scriptores omnes, quàm illis clamatoribus, qui ex his excerpunt quod ipsis libet, & ea quæ inseruiunt ipsorum opinionibus uenantur: & alia quæ leuiter ipsis aduersantur, relinquunt. Ideo alio modo & fide res tantæ tractandæ sunt.

Et quid adeò acriter pugnamus? Si uolumus concordare dicta patrum, tum accipiamus Magistrum Sententiarum, qui in hoc argumento diligentißimè elaborauit, & nos omnes in hoc opere præuertit longißimè. Nam ille similes habuit cogitationes de patrum dissensionibus et discordijs, quomodo componi possent. Et meo iudicio non inutiliter locauit suam operã, imò plus fecit quàm nos omnes possemus facere. Neq; in ullo concilio, etiam si omnia excutias, neq; in ullis patribus, tantum inuenies, quantũ in uno libro Sententiarũ. Nam concilia & patres tantum tractant quosdã articulos seu partes doctrinæ Christianæ: nullus autem omnes articulos & totam summam (ut ille uir facit) aut certè præcipuos. Verùm de summis articulis, de doctrina fidei & iustificationis,

loquitur. dilutius & tenuius, etiamsi doctrinam de gratia magnificè extollat, & amplißimis præconijs ornet. Eadem ratione fateamur Gratianum in Decreto, immanis molis libro, etiam aliquid laboris suscepisse, propter posteritatem, in concordandis patribus & Concilijs, qua in re ualdè sudauit: sed tam purus non est, quàm est Magister sententiarum. nam plus tribuit Romano pontifici: & occupatus persuasione temporis Romani, omnia ad Papam trahit & refert: aliàs forsan meliorem operam nauasset, quàm nos iam possemus facere.

Cæterùm qui latius uult uidere, quantum fuerit humanæ infirmitatis in uetustis scriptoribus & patribus, hic legat libellum D. Pomerani, pastoris in nostra Vuittēbergensi Ecclesia, super 4. cap. ad Corinthios. ex hoc certè discet, S. Augustinum rectè dixisse: NOLI MEIS, &c. ut suprà. ubi dicitur, quòd nulli patrum sit habenda fides, nisi pro se habeat testimonia clara scripturæ. Deus bone, si Christiana fides penderet ex hominibus, & ex uerbis hominū, quid opus esset scriptura sacra, aut ad quid uoluisset eā Deus patefieri, prolatam ex arcano sinu suo per filium suum Dominum nostrum IESVM CHRISTVM? Si hominis uerbum audiendum, uerbum Dei & sacra Biblia abscondamus sub scam-

no & modio: & loco Bibliorum, Concilia & patres lectitemus in suggesto. uel si patres non & ipsi fuerunt homines, quo modo tunc nos homines saluabimur? sin fuerunt mortales, tunc haud dubiè interdum etiam talia cogitarunt, fecerunt, loquuti sunt, qualia nobis offerunt se cogitanda, loquenda, facienda. Et sæpe ipsis quoq; dicendum fuit cum tota Ecclesia, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos, &c. præsertim cum non habuerint tales promissiones spiritus, sicut Apostoli, sed Apostolorum discipuli fuerũt. Si Spiritus sanctus adeò fuisset imprudens aut incautus, ut planè crederet Concilia aut patres prorsus omnia ad uiuum resecaturos esse, & secundum mathematicam illam præcisionem omnia reformaturos, ita ut nihil usquam latêret næuorum aut uiciorum: quid tum fuisset opus adeò grauiter præmoneri Ecclesiam uoce Spiritus sancti, Omnia probanda esse? item, Diligenter uidendum ubi super fundamentũ, quod est CHRISTVS, ædificetur stramen, lignum, uel stipulæ? 1. Cor. 3.

Hic uerò nõ dissimulanter, non obiter, sed palàm & potenter uaticinatur Spiritus sanctus, in sancta Ecclesia catholica fore aliquos, qui huic fundamento lignum, stramen aut stipulas superstructuri sint: hoc est, fore doctores qui in fundamento Christo maneant, quorum opera damnum

 patiantur,

patiantur, ipsi tamen salui fiant quasi per ignem. Qui locus non de hæreticis intelligi potest. Nam illi aliud fundamentum ponunt. Hi uerò in fundamento manent: hoc est in fide CHRISTI saluantur, & uocantur sancti Dei: & nihilominus quædam dogmata eorum sunt lignum, fœnum, stipulæ, quæ damnum patiuntur per ignem scripturæ sanctæ, ipsi tamen salui fiunt. sicut S. Augustinus de se dicit: Errare potero, sed hæreticus non ero. Ratio: Hæretici non solum errant, sed pertinaciter etiam defendunt errores suos, & contra conscientiam impugnant agnitam & manifestam ueritatem. De illis dicit S. Paulus ad Tit. 3. Hominem hæreticum post unam aut alteram admonitionem deuita: & scias, quoniam peruersus est eiusmodi, & peccat αὐτοκατακρίτως, id est, qui pertinaciter & scienter uult in errore damnatus perire in æternum. Verùm S. Augustinus libenter uult agnoscere suum errorem, libenter erudiri: ideo nō potest esse hæreticus. ita faciunt & omnes alij uerè pij & sancti, suasq; stipulas & fœnum libenter abijciunt comburendum, tantum ut maneant in fundamento salutis CHRISTO, sicut & nos fecimus, & facimus.

Itaq; cum res quoad scripta patrum aliter habere non posit (loquor iam de sanctis & pijs) ubicunque sine auro & argento & gemmis preciosis,

ciosis, id est sine scriptura certa ædificant, quàm ut super fundamentum stipulas, fœnum, ligna superstruāt: tunc sequenda regula utilißima & sanctißima sancti Pauli, *& discrimen faciendum est inter aurum & lignum, inter argentum & stramen, inter lapides preciosos & fœnum.* Non ergo *patiamur nos ab illis nugacißimis uociferatoribus eò pertrahi aut cogi, ut credamus idem esse lignum & aurum, stramen nihilo uilius esse argento, fœnū smaragdo aut alijs gemmis. Aut certè (ni desistant) ipsos orabimus, ut prius ipsi edant specimen huius nouæ &* Academicæ *sapientiæ: proijciant aurum ceu festucam aliquā, proq; eo eligant ligna, stramina uerò & carbones mirentur pro thesauris, stipulas pro unionibus. Aliâs meritò nobis ignoscent, quòd nos in spiritualibus rebus falli nolumus, cum ipsi nolint decipi in temporarijs: quæ collata ad æterna bona, non modò longè uiliora, sed & in infinitū minus sunt nihilo.*

Et quidem in hoc articulo cum de uetustis scriptoribus uel patribus agitur, considerandum est mirificum & singulare consilium Spiritus *sancti, quòd planè omnes in uniuersum libros scripturæ sanctæ cùm ueteris tam noui* Testamenti *tantum ex semine* Abraham *& Iudaico populo orbi dare uoluit, & ne unum quidem librum ab*

ullo Ethnico scribi. Quemadmodum nec prophetas nec Apostolos ex gentibus elegit, sicut Rom. 3. Paulus dicit: Iudæi habent hanc prærogatiuam, quòd ipsis sint concredita eloquia Dei. & Psal. 147. Qui annunciat uerbum suum Iacob, iustitias & iudicia sua Israel. Non sic fecit omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Et filius Dei inquit Ioan. 4. Scimus quòd salus ex Iudæis est. Item Rom. 9. Quorum est promißio, lex, patres, et Christus secundum carnem, &c.

Ideò nos profanæ gentes, nostrorum patrum scripta non æquemus scripturæ sanctæ, quæ ab illis summis uiris & luminibus mundi est prodita. Geramus nos paulo submißius erga tantorum hominum scripta. Ipsi enim sunt filij, & hæredes: nos peregrini, aduenæ & hospites, qui ad mensam filiorum ex misericordia gratuita adhibiti sumus. Imò debebamus abiecti ad pedes patriarcharum cum illa muliercula Cananæa proni procumbere in terram, & ex intimo affectu nostri cordis & nostri pectoris nihil magis optare, quàm ut liceat nobis uesci de micis quæ cadunt de mensa dominorum. Nunc nos gentes longè infrà positæ, uolumus nostros patres & eorum scripta exaltare usq; ad autoritatem Apostolorum. Non cogitamus, quòd DEVS, qui naturalibus ramis non pepercit, & nos poßit frangere: Rom. 11. nam &

semini

semini uel posteritati Abrahæ non pepercit, propter ipsorum pertinaciam & incredulitatem. Et tamen Papa Romanus, monstrum illud & abomi natio nouissimi temporis, exaltat se supra Apostolos & prophetas, & arrogat sibi Satanico fastu & ausu potestatem mutandi scripturam pro libidine. Ideo S. Augustinus rectè scribit, ut suprà cõmemorauimus, ad S. Hieronymum: Non existimo, mi frater, quòd tua scripta postules æquari Apostolorum & prophetarum libris: absit, non hoc postulabis.

Neque ullum est Concilium, aut liber patrum, in quo tota doctrina Christiana inueniri posit. Exempli gratia, Nicena Synodus tantum tractat hunc articulũ, quòd Christus sit natura DEVS. Constantinopolitana, quòd Spiritus sanctus sit DEVS. Ephesina, quòd Christus non duæ, sed tantũ una sit persona. Chalcedonensis, quòd Christus non unam, sed duas naturas habeat, uidelicet Diuinitatem & humanitatem. Hæ sunt præcipuæ & summæ quatuor Synodi, & tantũ tractãt illos quatuor articulos, ut audiemus. At hæc nõdum est doctrina Christiana tota. S. Cyprianus docet, quomodo fortiter ac constanter in fide moriendum, & perferenda martyria sint, & passiones, & rebaptizat hæreticos. Obiurgat & malos mores, præcipuè mulierũ. S. Hilarius defendit &

propugnat

propugnat Concilium Nicenum, quòd Christus sit uerus DEVS, & tractat paucos quosdam Psalmos. S.Hieronymus immodicè laudat uirginitatem, & heremiticum uitæ genus. S. Chrysostomus cōcionatur de oratione, ieiunio, eleemosynis, patientia, moderatione in uestibus, &c. S. Ambrosius multa necessária habet: sed in primis tamen præcipuos articulos tractat S. Augustinus, ideoq; Magister sententiarum bonam partem suorum scriptorū ex eo hausit. Et in summa, etiam semel in unam massam cōflatis omnibus patribus & concilijs, tamen integrum & totum doctrinæ Christianæ corpus ex eis non excerpes, quantumcunq; carpas: et nisi Scriptura sancta fecisset, tum Ecclesia Christi ex concilijs & patribus non diu manere aut durare potuisset. Quod ut clarius dicam, unde nam habent patres & concilia ea quæ ipsi docent, aut tractant? An putas quòd suo primum tempore inuenerint, aut quòd ipsis Spiritus sanctus denuò aliquid suggesserit? Quibus igitur auxilijs Ecclesia gubernata aut defensa est, ante cōcilia et patres? Ideo necesse est, ut aliter de concilijs loquamur: & non tantum illas literas, aut nudas syllabas, Concilium Concilium, sed ad mentem Synodorum respiciamus. Atq; hoc satis sit pro prima parte huius libelli, ut semel etiam respiremus.

SECVN-

SECVNDA PARS.

PRIMVM *agamus de Cōcilijs. nam hæ quatuor ſyllabæ, Concilium, plurimum nobis imperitis faciūt negotij, etiā pluſquam patres et Eccleſia.* Hic autem nō *ſumam mihi autoritatem iudicis, aut excellentis artificis: ſed meas proponam cogitationes. qui in hac re tanta aliquid afferre poteſt melius, huic precor ſalutem & fœlicem ſucceſſum.* Et hic primùm ad hanc cauſam accōmodo locum S. Hilarij de Trinitate: Ex cauſis dicendi ſumenda eſt intelligentia dictorum. Id eſt, qui uult intelligere aliorū dicta aut ſcripta, illum oportet primùm uidere, quare et ex quibus cauſis ita dicta ſint. Sic ex cauſis agendi, cognoſcuntur acta. Hoc docet etiam naturalis ratio: ſed uolo illa craſſiſsimè declarare.

Quando inter colonos uicinus ſorte uicinum accuſat, Domine iudex hic læſit meam famam, notans me turpi nomine nebulonis aut furciferi, etc. ibi literæ & nudæ ſyllabæ per ſe dant illam ſententiam, quaſi accuſator magna ſit affectus iniuria, cum tamen ſit mendacium. Si uerò ſuperuenit accuſatus, & cauſſas oſtendit harum literarum et ſyllabarum, & illa conuicia retorquet in actorē, dicens: Domine iudex, hic accuſator eſt ſceleratus

& maliciosus, nam ex hac urbe uirgis cæsus in publico spectaculo, eiectus est propter sua flagitia, et bonorũ hominũ intercessione uix euasit ex manibus carnificis, ac me tamẽ hic in ædibus proprijs incautum conatus est opprimere. Hic iudex literas & syllabas aliter intelligit quàm antea, sicut hoc experientia quotidiana in iudicijs & politicis rebus docet. Nam antequam quærantur causæ et fontes, nihil sunt quàm syllabæ, & choraliũ clamores, uel monialium strepitus. Ita cum Christus dicit Petro: Quæcunq; ligaueris super terrã, ligata erunt in cœlis: quæcunq; solueris super terram, soluta erunt & in cœlis. has nudas literas et syllabas accipit Papa, et nauigat in fortunatas insulas, in Schlauraffen land, atq; in hunc modũ eas deprauat: Ego Papa habeo potestatem ligandi in cœlo et in terra: Ego Papa habeo claues ligãdi et soluẽdi omnia in omnibus & per omnia, scilicet.

Quando autem causæ dicti considerãtur, tum CHRISTVS est ibi in illo grauissimo argumento, quod loquitur de potestate ligandi & soluendi. Loquitur enim de potestate remittendi peccata in Ecclesia. Nam ad regnũ cœlorũ & reconciliationem æternam nemo peruenit, nisi per remissionem peccatorũ: & nemo ab hoc regno Dei excluditur, nisi is cui peccata ob impœnitentiã retinentur. Ita ut hæc uerba Christi, non ad potesta

tem

tem S. Petri, sed ad necessitatem afflictarum conscientiarum referenda sint. Verùm ex his clauibus Papa, ipsissimus Antichristus, fecit adulterinas claues (quas nos Germani Dietrich uocamus) quibus recludit omnium regum opes, thesauros, arcas & cistas, ad scrutādas, diripiendas furto, & impudenti rapina dissipandas, omnes facultates diuitum, pauperum, omnes deniq; omnium hominum fortunas. Nam Papa, ut fatuus, tantum respicit literas & syllabas uerborum seu dicti Christi, non causas. Ita multi sunt loci scripturæ, qui secundum literam inter se pugnant. Quando aūt causse assignantur, tunc facilè possunt conciliari. Ac non dubito omnes iurisconsultos & medicos infinita eius rei exempla in suis libris inuenire, sicut suprà de iudice rusticano exemplum recitatui. Et quid sunt res & omnia negocia humana, quàm meræ antilogiæ & pugnantia inter se, donec rationes & caussæ dictorum & factorum expendantur? Ergo illi uiperini hypocritæ, qui ex meis libris antilogias anxiè uenantur, & causas ac rationes dictorū obticent, porci sunt & asini, & callidè eas cauillationibus et sophismatis obruūt. Quasi uerò ego non infinitas antilogias possim ex eorum scriptis aucupari, in his etiam locis, ubi ueræ ἀντιλογίαι sunt quæ nullis causis aut rationibus concordari possunt. Verùm de hoc plus sa-

tis:

tis:nam ipsi aduersarij ne tot uerborum quidem colloquio digni sunt.

Nunc uideamus de synodo Nicena. Hæc Synodus ex eiuscemodi causis congregata est. Cum optimus imperator Constantinus iam factus esset Christianus, & dedisset Ecclesiæ ueræ pacem contra tyrannos & persequutores, tanto robore fidei & tanta constantia, ut affinem suum Liciniū, cui sororem dederat, & in consortem adhibuerat Imperij, bello impetens, exueret regno, eo quòd post multas admonitiones, à crudelitate & persecutione sæuißima, quam in Christianos exercebat, desinere nollet: cum inquam optimus ille imperator Constantinus fecisset iam ocium beatū, pacem & tranquillitatem restituisset, & Ecclesiæ commodis præclarè consuleret quibus posset modis, adeò ut etiam contra externos hostes Persarum pararet expeditionem belli: in mediam illam amœnißimā paradisum bonæ pacis & tranquillitatis uenit serpens ille antiquus, & excitauit Arium presbyterum Alexandriæ, aduersus suum Episcopum: qui noui aliquid contra ueterē catholicam fidem studens comminisci, superbißimè ostentabat ingenium, audacter incipiens se opponere doctrinæ sui Episcopi, & palàm negans Christum esse DEVM. Applaudebant huic Ariano dogmati multi presbyteri, multiq; magni

gni Episcopi. Et cœpit hæc pestis latißimè grassa ri, adeò ut gloriaretur Arius, se esse martyrem, qui propter ueritatem persequutiones à suo Episcopo pateretur. Nam hic eum reprehendebat, ac uirulentas supra modum de eo epistolas sparsit paßim in omnes terras.

Cum hic rumor peruenisset ad Imperatorem, is (ut erat magna in eo sapientia) initia incendij celeriter restinguere conabatur, antequam erumperet in maiorem flammam. Scripsit ergo epistolam ad utrunq;, tum ad episcopum Alexandrum, tum ad presbyterum Arium, adhortans eos tam grauiter & paternè ad pacem, ut nihil posset scribi grauius, nihil humanius. Et ostendit eis, se maximo labore in regno suo fecisse pacē pro Christianis: iam si ipsi inter se dißidia excitarent, fore id magnum scandalum gentibus, easq; rursus defecturas à fide (id quod & factum est, & ipse hoc queritur) sibiq; hoc fore impedimēto, quo minus aduersus Persas bellū gerere posset. In summa, à tam potente Monarcha modestißimæ & Christianißimæ literæ sunt ad illos duos uiros scriptæ. Et mea quidē sentētia, demißiorē in ijs literis se gesşit Cæsar, quàm tantā personā decuit. Ita enim ex meo illo concitatiori et asperiori calamo iudico, quē profectò ad eam lenitatē attemperare nō potuissem, præsertim si tanti Cæsaris loco fuissem.

Verùm hæc Epiſtola tum fruſtra ſcripta erat. Arius enim iam habebat apud plurimos applauſum, & ea rabie perrũpere uolebat contra ſuum Epiſcopũ. At uerò optimus Imperator ne ſic quidem deſijt: ſed miſit legatũ inſignẽ, Epiſcopum toto orbe clariſsimum, nomine Oſium Cordubenſem ex Hiſpanijs, ad componendam illam cauſam in Alexandria & tota Aegypto. Verùm ne ſic quidem rei conſultum eſt, ſed incendium ſubinde latius uagabatur, non aliter quàm ſi flamma totam ſyluã corripiat. Ibi optimus Cæſar Conſtantinus confugit ad extrema, & ad Synodum conuocauit ex omnibus terris clariſsimos et optimos quoſq; Epiſcopos, & præcepit illos ſumptu Imperij in aſinis, mulis & equis uehi Nicæam: omnino cupiens cauſam per illos ad pacem & concordiam reduci. Conuenerunt igitur ibi profectò multi excellentes Epiſcopi & patres, & uiri magni nominis: Iacobus de Niſibin, & Paphnutius ex Ptolemaide epiſcopus, quos Licinius atrociſsimè perſequutus erat, & miraculis etiam editis inclaruerant. Quin uerò inter illos etiam (uelut ſtercus murium mixtum piperi) erant aliquot epiſcopi Ariani. Imperator itaq; lætabatur, & ſperabat bonum finem cauſæ, & omnes Epiſcopos honorificè tractabat. Cæterùm Epiſcopi cœperũt ſe mutuis querelis propter offenſiones: priuatas

uatas lacessere, & ad Imperatorem libellos deferebant, in quibus erant nominatim scripta uel annotata genera iniuriarum, quibus alter alterum affecerat: et petebant Cæsaris sententiã. Ipse uerò reiecit eos. Neq; enim de priuatis offensis aut rixis agi uolebat, sed uolebat illum articulũ de CHRISTO explicari: & Synodum congregarat non propter priuatas offensas. Cum autem non desinerent, iußit sibi omnes querelarum schedulas offerri: quo facto, ne ullam quidem legit, sed proiecit in ignẽ: interim tamen clementibus & amantißimis uerbis agens illa omnia, ac dicens, se non esse ipsorum iudicem, quos DEVS sibi dedisset Episcopos & iudices. Hoc modo commonefaciens eos, ut de principali causa agerent. An non meretur hic Imperator magnam laudem sapientiæ & mansuetudinis? Aliquis natura uehementior, offensus esset hoc facto Episcoporum. Sed hic moderatè egit: & tamen satis indicauit cogitationes suas, suamq; sententiam, quòd schedulas accusationum priuatarum combußit: nihil reueritus Episcopale nomen eorum, uel authoritatem. Voluit enim eos commonefacere, de ineptis ipsorum & puerilibus certaminib. cum propter alias res multo grauiores ex longinquis locis cõuocati essent.

Cum itaq; iam cœpta esset Synodus, ipse quoq; Constantinus in medio assedit Episcoporum, in se

de,quæ erat paulò humilior aliorũ Episcoporũ sedibus. Episcopus autẽ Romanus Syluester tum non aderat, sed (ut quidam dicunt) duos eò miserat presbyteros. Cumq; Eustachius ex Antiochia, qui præsidebat in Concilio, gratias egisset Imperatori pro beneficio congregatæ Synodi, dogma Arianum publicè coram omnibus est perlectum, (Ex historia enim ipsa apparet, Arium ipsum non adfuisse, cum nec Episcopus esset, nec legatus Episcopi) quod articulum illum præcipuum & nefarium continebat, Christum non esse natura DEVM, sed à DEO creatum & factũ: sicut hoc latius continetur in historia. Ibi assurrexit cunctus senatus Episcoporum, qui stomachantes frustillatim concerpebant chartam, & proclamabant publicè, falsam esse & apostaticam eam doctrinam. Atq; ita Arius ipsis uultibus grauiter indignantium cõcorditer damnabatur, cum quadam deformitate. Tantopere dolebat patribus scelus & audacia illius dogmatistæ, adeoq; animo et auribus abhorrebant à tanta Arij blasphemia. Damnationi ergo Arij subscribebant omnes Episcopi concordibus suffragijs, unaq; cum his Ariani Episcopi: corde tamen ficto, ut postea euentus docuit: exceptis duobus solum Episcopis ex Aegypto, qui non subscripserunt. Ita dimisit Synodum tunc Imperator: & ipse simul ac Synodus scripserunt

runt literas ad Ecclesias per totum orbem de hoc negocio. Placuit tum Imperatori, caussam esse cõpositam: & admodum humanum se exhibuit erga Episcopos, maximè eos qui persequutionem paßi erant.

Ex his nunc satis liquet, propter quas causas ea Synodus congregata fuerit, & in quem finem: nempe ad defendendum illum ueterem & summum articulum fidei, CHRISTVS est uerè & natura Deus: contra nouã hæresim Arij, qui seductus argumentis humanæ rationis, illum articulũ inflectere, mutare, deprauare et damnare uoluit, atq; ita ipse damnatus est. Nam Synodus Nicena hunc articulum non inuenit aut constituit denuò, quasi antea non fuerit in Ecclesia: sed contra nouam hæresin Arij defendit, sicut ipso facto declararunt pij Episcopi et sancti patres, ex graui indignatione cõcerpentes schedam, in qua fuit scriptus hic articulus. Quo facto palàm testati sunt, quòd ante illa tempora in Ecclesia inde usque ab ætate Apostolorum aliter docuissent. Nam quomodo aliàs saluati essent tot Christiani, qui ante Synodum Nicenam, inde à temporibus Apostolorum, CCC annis in illum IESVM CHRISTVM Dominum nostrum crediderunt, illum DEVM confeßi adorarũt et inuocarũt, suumq; sanguinem in testimonium martyrij & confeßio

nis suæ constanti & alacri animo profuderunt!

Hæc obiter hic recitare cogor. nam illi sycophantæ, qui parasitantur Papæ, adeò sunt dementati, ut hoc paradoxon audacissimè defendãt, Concilia potestatem habere condendi nouos articulos fidei, & mutandi ueteres. Hoc est tetrum & horribile mendacium. Et eiusmodi blasphemas schedas nos Christiani concerpere tenemur, æterno & immutabili mandato diuino. Nulla enim unquam concilia condiderunt aut mutauerunt articulos fidei: imò articulos fidei nulla humana mẽs, nulla autoritas comminisci debet: sicut faciunt, & fecerunt multi, qui nouas, arcanas & enthusiasticas illuminationes fingunt, ut propria audacia cõfictos articulos stabiliãt. Sed articuli fidei, de cœlo per manifestissima testimonia Spiritus sancti palàm exhibiti et reuelati sunt. aliâs non sunt articuli fidei, ut postea dicemus.

Exempli gratia, Synodus Nicena (ut diximus) hunc articulum non excogitauit, aut de nouo constituit, quòd Christus sit natura Deus: sed Spiritus sanctus illum secum attulit, cum in die Pentecostes super Apostolos de cœlo manifesta specie mitteretur, & CHRISTVM uerum Deum esse per Scripturas declararet: sicut antea promiserat Apostolis filius Dei ascendẽs in cœlum, quòd uellet certò dare ipsis Spiritum sanctum. Et inde

ab Apostolis hic articulus transmissus est usq; ad Synodum, à Synodo uerò ad nos. Atq; ita manebit usq; ad finem mundi, sicut dicit: Ero uobiscum usq; ad consummationem seculi. Etsi pro hoc articulo defendendo non alia plura & firmiora testimonia haberemus quàm hoc Concilium, ualde foret frigida nostra defensio. Equidē ipse huic Concilio habere fidem nollem: quin dicerem, patres huius Synodi fuerunt homines. Verùm Euangelista Ioannes, apostoli Petrus, Paulus, cum alijs Apostolis, graues, solidi & firmi testes sunt: hi solidum fundamentū sunt, & aheneus murus. Nam illis reuelatū est per Spiritū sanctum, missum è cœlo. Ab ijs Ecclesiæ hunc articulum, ante illam Synodum, & Synodus ipsa hanc immotā ueritatem accepit. Nam Ecclesiæ tum ante cōcilium, sub initium hæresis Arianæ, tum & in ipsa Synodo, & post Synodū, uerba scripturæ ex Euangelio Ioannis errori pernicioso acerrimè opposuerūt, ut in libris Athanasij & Hilarij uidere est. & Tripartita lib. 5. cap. 29. testatur, Symbolum in synodo Nicena per Apostolorum scripta fundatum & cōfirmatum esse. Alioqui sine testimonijs scripturæ, quæ sunt comprehensæ in libris Prophetarū & Apostolorum, nuda uerba Concilij prorsus nihil essent profutura, nihil habitura roboris aut neruorum. Ita hic articulus de diuinitate Chri-

sti, mens est & anima illius Synodi: imò synodus Nicena in totum nihil aliud est quàm ille articulus, propter quem conuocata est, eoq; die, ut dictum est, dimissa.

Alio die autẽ (ubi non fit mentio Cæsaris Constantini, quòd præsens fuerit) iterũ conuenerunt, et alia quædã negocia tractarunt: inter quæ haud dubiè fuerunt schedulæ illæ, quas Constantinus flammis tradiderat, nec audire partes uoluerat. Ideo & ipsis conueniendum fuit, ad componendas has controuersias. Nam bona pars illarum querelarum, nihil fuit quàm rixæ & contentiones sacerdotum inter se, in una nimirum ciuitate nõ debere esse duos Episcopos: item, non debere Episcopum deserta uiliori Ecclesia, quærere ampliorem aut splendidiorem: item, quòd clerici aut diaconi non deberent in alienas Ecclesias insidiosè irrepere, deserta illa Ecclesia à qua primùm essent uocati: item, quòd Episcopus non debeat recipere ab alio reiectos, aut excõmunicatos: item, quòd Episcopus Hierosolymitanus debeat retinere ueterẽ prærogatiuam suæ dignitatis, præ cæteris: et quæ aliæ his sunt nugis similes. Quis uerò poßit has leuiculas propositiones habere pro articulis fidei? Et quid utiliter posset dici de his rebus in publicis concionibus apud populum? Quid hæc ad populum, uel ad Ecclesiam? nisi forsan hoc historicum

aliquis

aliquis uellet excerpere, quod tunc temporis passim in Ecclesia fuerint ambitiosi, petulātes & mali homines, Episcopi, presbyteri & clerici, qui magis de honore, potentia, opibus & splendore fuerint solliciti, quàm de gloria Dei, et ipsius regno, quibus itā fuit resistendum?

Facilè enim iudicare potest pius & prudens lector, Constantinum sapientissimum principem, propter hæc negociola aut rixulas nullo modo coegisse tam augustam Synodū. Aliâs haud dubiè fecisset, prius quàm Arij hæresis enasci aut pullulare cœpisset. Nam illa omnia erāt uiliora, quàm ut eorum curā tantus Monarcha susciperet: quæ & ipsi Episcopi in suis diœcesibus sua domestica gubernatione constituerant atq; expedierant, sicut ipsi articuli commemorāt. Et non modò indecorum, uerùm etiam turpe fuisset, ob negocia tam uilia & exigua Synodum tam magnam cogi; cum ad hæc politica & externa negocia ordinanda ratio homini à Deo data sit, nec opus sit Spiritu sancto: qui de CHRISTO concionari debet, nō occupari negotijs rationi subiectis. Nisi forsan Spiritus sancti opera uocare uelis, omnia quæ pij Christiani faciunt, etiam cum edunt & bibunt. Alioqui quod ad doctrinam attinet, longè habet sublimiores occupationes & grauiores Spiritus sanctus, quàm eiusmodi externa & ciuilia, quæ

omnes iudicare possunt qui sunt præditi commu ni sensu. Præterea Episcopi *qui interfuerunt synodo* Nicenæ, *non omnes fuerunt pij, non omnes fuerunt* Paphnutij, Iacobi, Eustachij, &c. *Numerantur enim 17. Ariani, qui fuerunt in magna æstimatione, etsi specie humilitatis & affectata ὑποκρίσει simulabant metum et reuerentiam aliorum.* Historia Theodoreti *dicit* XX *articulos fuisse:* Ruffinus *facit* XXIII. *An uerò* Ariani, *uel aliqui alij addiderint aut deleuerint aliquos articulos, non possum dicere: (nam articulus de coniugio & uxoribus sacerdotum, pro quo dicitur pugnasse* Paphnutius, *non est ibi) uerùm hoc scio, quòd omnes iam olim mortui, et in libris sepulti, & cineribus traditi sunt, nunquam resurrecturi: sicut &* Constantinus *hoc significauit ipso facto, cum schedulas illorum articulorum concerpsit & cremauit.* Nam *hodie non seruantur, nec possunt seruari.* Hi *omnes articuli fœnum, stramen, ligna, stipulæ fuerunt, sicut* Paulus *inquit, ædificatæ super fundamentū.* Ideo *ignis eos pau latim absumpsit, sicut aliæ res fragiles & caducæ temporis uetustate intereunt.* Si *autem fuissent articuli fidei, aut præcepta diuina, tunc etiam durassent: sicut ille articulus de diuinitate* Christi.

Sed tamen de illis ligneis articulis, reliqui manserunt, quasi aliqui titiones; nempe articulus de

festo Paschatis. Quem quidem articulum (sicut Mathematici & Astronomi dicunt) non per omnia exactè & rectè seruamus, cum æquinoctium nostro tempore longè aliter habeat, quàm tempore synodi Nicenæ, et nostrum Pascha sæpe tardius quàm secundum ueram computationem celebratur. Olim, mox post ætatem Apostolorum, cœpit illa contentio de festo Paschatis: & Episcopi propter illum articulum se mutuò excommunicarūt, & anathematizarunt indignis modis. Quidā uoluerunt diem Paschæ eodem die celebrari, quo Iudæi secundum legem Moysi. Quidam uerò, ne uiderētur Iudaizare, Dominica post Pascha Iudaicum proxima celebrandū contendebāt. Nam episcopus Romanus Victor, qui 180. annis fuit ante hoc Concilium, qui et martyrio ipse coronatus est, excommunicauit omnes Episcopos & Ecclesias in Asia, quòd non eodem tempore, quo ipse, Pascha celebrarent. Ita tum scilicet Romani episcopi cogitabant de maiestate & potentia. Irenæus autem episcopus Lugdunensis, qui Polycarpum discipulum S. Ioannis Euangelistæ uidit, obiurgauit eum, & sustulit hoc dissidium, ut Victor desineret à turbandis Ecclesijs. Ideo Constantinus & hoc negocium cogebatur curare, & adiuuare episcopos in componenda hac controuersia. & quidem edictum edidit, in quo mādauit, ut omnes

homines

homines per totum orbem celebrarēt Pascha uno & eodem die. Lege quæ de hac re in Tripart. lib. 9. cap. 39. dicuntur pulcherrimè.

Sed iam iterum ea res opus haberet reformatione, ut Calendarium emendatum, & diem Paschatis rectè collocatū haberemus. Sed hoc nemo facere potest, aut debet, quàm Monarchæ, Cæsar & magni reges & principes. Hos oporteret con iunctis consilijs & uoluntatibus, edictum promul gare in omnes gentes & nationes, quo tempore anni dies Paschæ esset celebrandus. Nam si in una aut altera ditione res tanta inciperetur, & negocia politica uel forensia, ut nundinæ, emporia, & alij eius generis contractus, &c. ad præsens tempus Paschatis accommodarētur: tunc magna sequeretur cōfusio in omnibus rebus et negocijs. Vtile quidē esset, & facilè posset hoc fieri, si Monarchæ & maiestates uellent hoc oneris in se susci pere, maximè cum res ipsa iam elaborata sit ab Astronomis, & tantum restet ut edicta edantur. Interea retinemus linum fumigans, & titionem fumigantem, ut festum Paschatos celebretur die Dominica, ut maximè interea temporis quæcunque eueniat mutatio & uacillatio. Nam quæ ipsi uocāt mobilia, ego Germanicè uoco Schurkelfest, ubi singulis annis dies Paschæ cum suis adhærentibus festis mouetur, uel mutatur dissimiliter, nec

in ullo certo die fixa manet, sicut alia festa.

Hæc uerò festorũ mobilitas inde est, quòd antiqui patres (ut dictum est) statim sub initium Synodi collocari uoluerũt diem Paschæ in illud tempus, quod prius à Moyse ordinatum seu constitutum fuit: id est, in pleniluniũ mensis Martij, proximum æquinoctio: neq; tamen prorsus uolebant ἰουδαΐζειν, aut cum Iudæis in ipso plenilunio celebrare festum paschatis: sed ut homines Christiani, legem Mosaicam in hoc casu relinquebãt, sumebantq; diem Dominicum proximè sequentẽ plenilunium Martij. Ita accidit anno præterito 1538, quo Iudæi celebrarunt suum Pascha sabbato post Inuocauit, ut in nostris Ecclesijs nominare consueuimus, id est penè quinq; hebdomadibus ante id tempus, quo nos festũ Paschatis celebramus. Id nunc effuse rident Iudæi, & insultant nobis Christianis, quasi nec uelimus seruare legitimum tempus paschatis, nec ueram anni rationem nouerimus: atq; ita seipsos in sua infidelitate quodam pertinaci & pharisaico furore confirmant. Hoc dolet nostris, qui ualde uellent Imperatorias potestates aliquid cõferre operæ et sumptuum ad accuratam Calendarij emendationem. Siquidem sine magnorum principum & regum liberalitate nihil potest effici in isto genere: multoq; minus, ut suscipiant hunc laborem artifices idonei,

suadendum

ſuadendum eſt. Meo quidem iudicio perinde eſt factum, ſicut CHRISTVS *inquit Matth. 9. Qui nouum pannũ aſſuit tunicæ uetulæ, facilius lacerabit totam tunicam: & cum replentur uaſa uetera nouo & feruenti muſto, rumpuntur uaſa, & effunditur muſtũ: ita ipſi uolunt retinere partem de ueteri lege Moſaica, id eſt tempus plenilunij deputatum feſto Paſchatis mutari non uolunt, neq; tamen poſtea (ut homines ſancti, per Chriſtum liberati à lege Moyſi) uolunt alligati eſſe ad ipſum diem oppoſitionis, ſed pro illo ſequentem diem Dominicam ſumunt.* Hoc perinde eſt, *ac ſi nouum centonem ueteri pelliceo aſſueres.*

Hinc tam multas turbas & confuſiones in Ec*cleſia concitauit illa perpetua rixa de feſtorũ mutabilitate.* Et *durabit porrò hæc rixa uſq; ad finẽ mundi, hanc ob cauſam, quia nullus finis uel modus potuit eſſe talium librorũ.* Hoc *malũ* CHRISTVS *etiam ita ſinit graſſari in* Eccle*ſia, ſingulari conſilio, ut qui uult perficere uirtutem ſuam in noſtra infirmitate, & nos ipſos, quàm ſimus imbecilles & infirmi, ex animo agnoſcere.*

Quanto feciſſent illi conſultius, ſi legem Moyſi de paſchali feſto reliquiſſent ibi iacere mortuã & ſepultã, & nihil retinuiſſent de illa uetere tunica: quia filius Dei, *ad quẽ illa erant directa, per paßionem & glorioſam reſurrectionẽ ſuam pror*

ſus

ſus aboleuit, interemit & ſepelijt ea in omnem æternitatem. Velum templi rupit: & paulo pòſt ipſas Hieroſolymas, *unà cũ ſummis dignitatibus, quibus hæc politia ornata & aucta erat diuinitùs, unà cum pontificatu, principatibus & lege cæremoniali deſtruxit penitus, & ad cineres redegit.* Potius *igitur ipſi diem paßionis, ſepulchri & reſurrectionis calculationibus inquirere, obſeruare, & in calendario annotare debuiſſent: ſicut fecerunt in die natiuitatis, in feſto noui Anni, in feſto trium* Regum, *Purificationis, Annunciationis* Mariæ, *in feſto* S. Ioannis, *& ſimilibus, quæ nominarunt feſta fixa, non mobilia.* Id *ſi factum eſſet, tunc ſine negocio & ſine magnis diſputationibus, ſingulis annis deprehẽdi potuiſſet dies certa, in quam feſtum Paſchæ & cætera feſta adhærentia cadere oporteret.*

Sed dicas, celebrari diem oportebat Dominicã *propter* Chriſti *reſurrectionẽ: ideo enim uocatur dies* Dominica, *et feſtũ* Paſchæ *in ipſam diem* Dominicam *collocari oportebat: quia poſt diem Sabbathi (quẽ uocamus in uernaculo den Sonnabẽd) reſurrexit filius* DEI *ex ſepulchro. qualecunq; hoc argumentũ eſt, quod mouit ipſos. Quia uerò dies* Dominica *propriè nõ uocatur dies ſolis, ſed dies* Domini, *cur non etiam ſinguli dies in quos cadit feſtũ* Paſchatis, *dies* Dominici *uocarentur?*

Natalis Christi an non est etiam dies Dominica? id est, in qua celebratur hoc mirandum & singulare opus Domini, uidelicet ipsius natiuitas? Et si non cadit singulis annis in diem solis, tamen nominamus den Christtag, id est, Dominicā diem, etiam cum incidit in sextam feriam: quia ex usitata supputatione iuxta cursum solis tributa est ei certa litera in Calendario. Eadem ratione diei festo Paschatis certa litera attribui in calēdario potuisset, siue in sextam siue in quartā feriā caderet. Hac diligentia fuissemus liberi à lege Mose, quæ præcipit obseruationē plenilunij, quod est in mēse Martio: ut nunc non quæritur, an luna sit in coniunctione uel in oppositione circa natalē Christi: & omissa computatione mensium lunarium, simpliciter retinemus dies iuxta usitatam computationem, quæ ad motum solis accommodata est. Et si aliquis obijceret, cum æquinoctium (ut docent Astronomi) procedat suo ordine, anni uerò in calendario serius, & non æqualiter coincidāt, idq; magis magisq; fiat, fore ut æquinoctium paulatim longius ab ordinario die paschatis recedat, sicut paulatim longius recedit à Philippi et Iacobi & alijs festis: quid hæc ad nos Christianos? Etiam si nobis pascha circa festum Philippi et Iacobi celebrandum esset, (quod tamen ante finem mundi haud euenturum esse arbitror) aut etiam

ulterius:

ulterius: an non celebramus quotidie ferias paschales in sacris concionibus, quæ de filio DEI nos erudiunt, & in quotidianis exercitijs fidei in Christum: & sufficit ad crassam, manifestam & sensibilem commonefactionem, ut Pascha semel in anno celebretur, ad certum diem, non ideo tantum, ut illo ipso die historia resurrectionis maiori diligentia & cura populo proponatur, uerùm etiam propter anni tempora, ad quæ pleriq; homines negocia forensia & domestica seu ciuilia accommodant? sicut habentur festa Michaelis, Martini, Catharinæ, Ioannis, Petri & Pauli, &c.

Sed iamdudum illa & ab initio neglecta sunt, ut instituere emendationem nō poßimus, cum patres hoc non fecerint, semper mansit uetus & lacera tunica cum suis centonibus. maneat igitur deinceps quoq;, usq; ad nouißimum diem. Res enim nunc ad extrema delapsa est. Nam cum uetus tunica rumpi & resarciri se passa sit annos circiter 1400, patiatur deinceps etiam se lacerari & sarciri annos centum uel ducētos. Existimo enim nos non procul abesse à fine: et quia festum Paschatis iam anticipauit annis mille & quadringentis, anticipet porrò per hoc exiguum & breue tempus quod reliquū est. Siquidē nemo est, qui emendationē harum rerū uelit suscipere. Et si qui sunt q ualde uellent, tamē præstare id nō possunt.

Hanc prolixam commemorationem, licet non perinde necessariam, institui tantum eò, ut meam sententiam perspicuè exponerem ad refutandas sectas, si quæ fortasse paulo pòst priuata audacia tempus Paschatis mutaturæ sint, aut alio tempore Pascha celebrari uelint, quàm nostræ Ecclesiæ hactenus cõsueuerunt. Credo ego, si tantum fuisset eruditionis in Anabaptistis, ut Astronomorũ disputationes intelligerẽt, ipsos audacissimè fuisse tentaturos tales mutationes, & (quod solent fanatici homines) excogitaturos etiã aliquid noui in mundo, ut uidelicet contra aliarum gentiũ consuetudinem festum Paschatis obseruaretur. Sed quia fuerunt homines indocti et rudes liberalium disciplinarum, Diabolus nõ potuit eis uti ceu instrumẽtis uel organis, per quæ inueheret hæc in Ecclesiam. Est igitur hoc meum consilium.

Seruetur deinceps festum Paschatis, sicut iam seruare nostra ætas consueuit. Sarciant aut lacerent alij ueterem tunicã, & ut antea dictum est, moueant hinc inde festum Paschatis pro arbitrio, ad extremum usq; diem, aut quousq; Monarchæ unanimiter & consentientibus uoluntatibus illa mutent, consideratis caussis quæ sequuntur.

Nos enim nullum ex ea re metuimus incommodũ, nec propterea periclitabitur nauicula Petri, cum nõ sit hæresis, aut quoddam enorme peccatum:

ctum: etsi patres ex inscitia iudicabant esse peccatum, & aliter sentientibus ut hæreticis conuiciabantur, & excommunicabant eos: cum sit tantum error seu solœcißimus in Astronomia, qui plus prodest politico regimini quàm Ecclesiæ. Sin deinceps Iudæi nos ridere uolent, quasi faciamus hoc quadam ignorantia: multo magis ipsos ridebimus, qui tam pertinaciter defendunt stultas opiniones de obseruatione Paschatis, nec sciunt Christum omnia illa compleuisse ante annos 1500. Imò abolita et deleta tunc sunt penitus. Nam nos uolentes & scientes ista facimus, non ex ignorantia. Certè nō adeò sumus rudes aut ignari, ut nō optimè sciamus, quod sit legitimū tempus Paschatis, secundū legem Mosæ. Et quidē nobis hæc, quàm illis, notiora sunt: sed nèc uolumus nec debemus hoc facere. Habemus enim Dominum supra Moisen, & super omnia, qui dicit ipse: Filius hominis est Dominus Sabbathi. Quanto magis igitur Dominus est Paschatis & Pentecostes, quæ in lege Mosæ minus habent autoritatis, ac minus ualent quàm lex de Sabbato. Hæc enim fuit inscripta saxeis tabulis Moysi, Paschatis & Pentecostes non fit mentio in illis tabulis. Præterea habemus mandatum Pauli apostoli, qui simpliciter prohibet, ne patiamur nos alligari diebus Dominicis, festis, aut alijs anni temporibus quæ in lege Mo-

ſe præcipiebantur:Galat.4.Coloſ.2.

Itaq; poſitum eſt,& poni debet,in noſtro arbitrio et poteſtate, ut nobis ſit liberum Paſcha celebrare quocunque tempore: etiam ſi ſexta feria commutanda eſſet cum die Dominica, aut econtrà, tamen nulla foret impietas, ſaltem ſi fieret authoritate poteſtatum ſuperiorum, & (ut diximus) piorum hominum conſenſu. Nam Moyſes mortuus & ſepultus eſt per Chriſtum: & dies uel tempora non debent dominari conſcientijs Chriſtianorum, ſed Chriſtiani ſunt domini ſuper tempora & dies De his licet ipſis liberrimè ſtatuere, prout uolunt, & prout placet eis. Chriſtus enim omnia illa fecit libera, cum onera legis Moſaicæ ſuſtulit. Niſi quod retinemus morem publicum antiquitùs receptum in Eccleſia, propter alios, qui nobiſcũ ijſdem utuntur temporibus. Nos enim in Eccleſia ſumus certi, ſalutem noſtram nullo modo pendere ex Pentecoſte aut Paſchate, uel ex obſeruatione Dominicæ diei, aut ſextæ feriæ, ſicut S. Paulus clarè docet.

Et ut ad locum de Concilijs denuò redeam, affirmo, nos nimis ſuperſtitioſe ſeruare illam particulam Niceni concilij. Et quòd Papa poſtea cum ſuo conciliabulo non tantum aurum, argentum, gemmas precioſas indè exculpſerit: ſed etiam conſtruxerit indè fundamentum, id eſt articulum fidei,

dei, ſine quo nemo poßit ſaluari: & nominant omnes mandatum & obedientiam debitam catholicæ Romanæ *Eccleſiæ. Qua in re multo ſunt deteriores ipſis* Iudæis: *quia* Iudæi *habent textum* Moyſi *in* Biblijs *de tempore paſchatis, quod fuit ipſis mandatum diuinitùs: illi uerò prorſus nihil habent quòd ſequãtur, quàm uanißimam perſuaſionem, qua impulſi, uolunt ex antiquis centonibus* Moſaicis *conſuere nouam tunicam. clamitant magno zelo, legem* Moyſi *ſeruandam eſſe: & illi ipſi clamores quantumuis zeloſi, ſunt mera mendacia et febrilia ſomnia de* Moyſe, *qui iamdudum computruit, & ut ſcriptura loquitur, à* Domino *ipſo, id eſt, à* CHRISTO *ſepultus eſt, ita ut à nullo homine eius ſepulchrũ uſpiam inueniri potuerit. & iſti ueteratores agyrtæ uelut ſuis præſtigijs uolunt iterũ ex orco euocare manes* Moyſi, *eumq́; uiuum nobis adducere ob oculos: nec uident quid* Paulus *moneat* Gal. 6. *inquiens,* Si uo*lunt partem* Moyſi *ſeruare, tum etiam integrum* Moyſen *ſeruare eos neceſſe eſt.*

Cum igitur eis ſit perſuaſißimum, plenilunium menſis Martij *neceſſariò habendum eſſe pro uero tempore paſchatis; & hanc hypotheſin ceu partem legis* Moſaicæ *mordicus retineant: neceſſe eſt etiam eos retinere totam legem de agno paſchali, & repentina quadam metamorphoſi transforma*

ri in Iudæos, & unà cum Iudæis uesci agno carnali. Sin minus, oportet eos omnia reijcere, tum partem legis de obseruatione plenilunij, tum totam reliquam legem: aut oportet ipsos negare illa legalia necessaria esse ad salutem, necessitate articulorum fidei. Quod quidem patres in hoc concilio, & præsertim eruditiores, fecisse existimo.

Perspicuum est igitur, in hoc concilio præcipuè agitatam esse cōtrouersiam de hoc articulo, quòd CHRISTVS sit uerè Deus. propter illam enim Synodus tunc est conuocata, & hanc ipsam ob caussam nominatur & reuera est Synodus. Ac simul tunc controuerterunt quædam accidentalia, corporalia, externa siue temporalia, aut quoquo modo aliquis uult nominare, quæ meritò habentur pro ciuilibus seu politicis rebus, & nullo modo conferri debent cum articulis fidei, aut exaggerari quasi ius perpetuum & inuiolabile (dudum enim illa præterierunt & exoleuerunt) sed in illa Synodo opus fuit ordinari quædam temporalia, quæ tantum fuerunt commoditates conuenientes ipsorum temporibus, nihil pertinentes ad nostra tempora. nam eorum obseruatio nec possibilis est, nec utilis.

Alter error etiam damnatus est & impius, uidelicet quòd hæretici rebaptizandi sint: si tamen ab orthodoxis patribus est conditus, nec ab Aria

nis

nis aut alijs pseudoepiscopis ueteratorie insertus est. Sic etiam concilium Apostolorum Hierosolymis, absoluta disputatiõe de re principali, postea etiam de quibusdam παρέργοις & externis articulis, uidelicet de sanguine, suffocato, idolothytis, ut de necessitatibus sui temporis, disputationes instituit: sed nõ illa opinione, quasi uellent ea tanquã æternum & immutabile ius retineri in Ecclesia, aut ut articulos fidei. paulo pòst enim collapsa sunt omnia. Et cur non uellemus etiam penitius introspicere hoc concilium, quomodo sit intelligendum, ex illis caussis, quæ occasionem Synodo primùm præbuerunt? Illa autem erat uera caussa. Gentes quæ per Barnabam & Paulum conuersæ fuerant, tam acceperant Spiritum sanctum per uocem Euangelij, quàm Iudæi: neq; tamen erant sub lege, sicut Iudæi. Ibi acerrimè contendebãt Iudæi, ethnicos circuncidendos esse, & legem Mosi seruandam esse, aut non posse saluari homines. Illa erant terribilia & grauissima fulmina, ne minem posse consequi hæreditatẽ æternæ salutis sine lege Mosi, & sine circumcisione. Idq; præ cæteris urgebant Pharisæi, qui fuerant conuersi ad Christũ: Act. 15. Propter illam ipsam caussam conueniebãt Apostoli cum senioribus populi, & post longum ac uehemens certamen prodit Petrus in cœtum, & habet illam grauissimam & pulcher-

rimam concionem, in Actis capite 15.

VIRI FRATRES, *uos scitis, quòd Deus iam olim elegit in nobis, per os meum audire gentes uerbum Euangelij, & credere. Et Deus* καρδιογνώστης *testimonium perhibuit, dans illis Spiritum sanctum, sicut & nobis. Et non fecit discrimen inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Quid ergo nunc tentatis Deum, imponentes iugum super ceruices discipulorum quod neq; nos, neq; patres nostri portare potuimus? Sed saluari nos credimus per gratiam Domini nostri* IESV CHRISTI, *quemadmodum & illi sunt saluati.*

Hæc concio perindè sonat, quasi Petrus ualde fuerit commotus illa asperitate orationis, cum dixissent Pharisæi, non posse saluari gentes nisi se circumciderẽt, et seruarent legem Mosæ, ut suprà dictum est. Retorquet igitur in ipsos illa fulmina: Vos scitis, inquit, quòd gentes per me uerbum audiuerunt, & fideles facti sunt, ut Cornelius cum sua familia, uobis frementibus & stomachantibus contra me, quòd accessissem ad gentes, & conuersos baptizassem in nomine IESV; *Act. 10. & 11. Tam citò ne uobis illa exciderunt? & nunc uultis imponere gentibus tale onus, quod neque nos,*

neq; patres nostri portare potuimus? Quid hoc est aliud, quàm tentare DEVM, *cum alijs imponimus intolerabilia onera, quæ ne quidem ipsi ferre possumus: præsertim cum sciatis, quòd Deus dederit eis Spiritum sanctum sine ullis meritis talium onerum, & ipsos nobis æquales fecerit: cum ne nos quidem ex merito ullius oneris, sed ex gratuita et immensa bonitate* DEI *eundem spiritum acceperimus, sicut & patres nostri. Nam cum nostra infirmitas nequaquam sufficeret ferendo tanto oneri, plus iræ quàm gratiæ sumus promeriti, qui tenebamur ex debito ferre hæc onera. Sic enim nosmetipsos antea obligaueramus.*

Omnino hæc est ὑπόστασις, *& hoc* κεφάλαιον *huius concilij: nempe quòd pharisæi uolebant cōtra uerbum gratiæ, opera uel merita legis adeò extollere & amplificare, quasi essent necessaria ad salutem æternā. Ita uerbum gratiæ fuisset deletum, unà cum Christo & Spiritu sancto. Propterea tantopere impugnat et refutat Petrus hæc pharisaica deliramenta, & constanter affirmat, se sine ullis operibus, tantum per gratiā* IESV CHRISTI *oportere saluum fieri. Nec uerò cōtentus est hac asseueratione, sed ulterius etiam audet dicere, Omnes ipsorum maiores, tam sanctos patriarchas quàm prophetas, & uniuersam Ecclesiam Israelitarum, non aliter nisi tantū per*

gratiam IESV CHRISTI saluatos esse: & damnat omnes illos tanquam πειράστας τοῦ θεοῦ, tentatores Dei, qui alia ratione uoluerunt, aut uolunt seruari.

Satis acerba puto & uehemens fuit haec Petri concio, quae rupit illos ferreos obices, & illa adamantina repagula, quibus fuit conclusa & septa illa politia Iudaica. An non cremandus esset omnium calculis hic haereticus, qui reijcit omnia bona opera: & furenter cõtendit, tantillum satis esse ad salutem, uidelicet gratiam & fidem, & quidem apud omnes sanctos patres inde usq; ab initio sonuisse hanc doctrinam asserit. Multi nos nunc uocant haereticos & καινοδοξιμένας, qui tamen aliud nihil quàm hanc ipsam Petri concionem, & huius concilij decretum docemus: quòd nunc sciunt omnes homines melius, quàm illi ipsi Pharisaei, quos tamẽ grauiter Petrus hic accusat.

Verùm S. Petrus multo est rigidior, & nimis durus, quòd nõ tantum CHRISTI gratiam ad salutem sufficere docet, quae quidem grata est omnibus concio: sed cum dicit, Neq; ipsos, neq; ipsorum maiores hoc onus portare potuisse: tantundem est ac si diceret, nos Apostoli, & omnes alij quicunq; sumus, unà cum nostris maioribus, primis patribus, prophetis, & cum illa uniuersa multitudine quae uocatur populus DEI, nunquam satisfe-

tisfecimus legi DEI, *sed sumus miserrimi peccatores, per omnia inquinatißimi, polluti & damnati*. Non *enim loquitur de lucanica, aut iure nigro quod affunditur carnibus aut piscibus, sed de re maxima loquitur, de lege Moysi, inquiēs, quòd nemo mortalium eam seruauerit, aut seruare unquam potuerit, ut Christus inquit* Ioannis 8. Ne*mo ex uobis seruat legem.* Profectò *nisi me mea fallit opinio, hoc est prædicare legem ad maledictionem, & seipsum quoq; numerare inter summos peccatores, damnatos et reos æternæ mortis.* V*nde igitur nobis ille falso putatus hæres* A*postolicæ sedis, qui se ipsum arrogantißimo titulo* SANCTISSIMVM *cognominat, & ad cœlum usq; sanctos extollit quos uult, idq́; propter ipsorum opera, non propter Christi meritum?* Et *quò nunc se proripit illud insanum uulgus* Mo*nachorum, qui adeò sunt robusti, ut plus etiam portare poßint, quàm quantum est illud immensum onus legis: et quibus de sua sanctitate tantum superest, ut uendant etiam alijs?* Nos *non tam sumus pertinaces aut ἐριστικοί*. Nobis *non licet patriarchas, prophetas,* A*postolos, & sanctam* E*cclesiam catholicam habere pro peccatoribus: sed cogimur etiam* P*apam uocare sanctißimum, id est sanctum* S*anctorum, qui est* CHRISTVS.

Sed tamen S. P*etrus ualde molli, benigna et ho*

norifica

norifica absolutione dignus est, nec amplius de ipso ita morose iudicãdum est. Docet enim in hoc *articulo admodum insigni, primùm legem, quòd omnes simus peccatores. Secundò, quòd tantum gratuita inputatione filij* DEI *simus iusti: & hac fide sint saluati primi patres, prophetæ, Apostoli, atq; adeò uniuersa catholica Ecclesia omniũ sanctorũ, inde usq; ab initio: de quibus omnibus, sicut de se, iudicat, quòd sint contaminata & mi era massa, plena peccati & sordium. Tertiò, etiam multo antè quàm est celebrata Synodus Nicena, docet, quòd* CHRISTVS *sit uerè & natura* DEVS*: quia dicit, Oportere omnes sanctos, omnium temporũ, in omni æternitate damnatos esse, nisi per gratiã Domini nostri* IESV CHRISTI *hæredes fiant salutis & uitæ æternæ.*

Dispensare in alio gratiam et salutem æternã, tanquam uerum Dominum talium bonorum, tantum conuenit diuinæ et omnipotenti naturæ, quæ posſit peccatum per gratiam, mortem & infernum, per salutem uincere, delere, & tollere. Hoc non poterit facere ulla creatura, nisi fortè faceret hoc Romæ monstrum illud, quod nominat se Sanctiſsimum, citra tamen corruptelam & iacturam cõcionis S. Petri in Actis. Quartò, quòd Deum tentet, qui Christianos per legem seu sua opera iustificari dicit, aut gratiam se cõsequi existimat.

Qui

Qui uolet, interpretetur sanè hoc onus tantũ esse cæremonias Mosæ, et circumcisionem, non decem præcepta aut bona opera. Equidẽ dico, mea pace hoc liceat. Si potes minori difficultate seruare decem Præcepta, quàm cæremonias Moysi, sanè facias, & sanctitate excedas ipsum Petrum & Paulum. Certè ego in seruãdis decem Præceptis adeò sum infirmus et debilis, ut multo mihi facilius esset, meo quidem iudicio, seruare omnes Moysi cæremonias, nisi adeò me decem præcepta urgerẽt. Verùm huic disputationi nunc non est locus, cum alibi ista satis copiose tractata sint. Sed hoc etiam ratio iudicabit, & fateri cogetur, decem Præcepta uel opera Decalogi nec esse, nec uocari posse gratiam IESV CHRISTI, *sed prorsus aliud quiddam & uocari & esse oportere. Dicit uerò hic Petrus, nos tantum per gratiam* IESV CHRISTI *saluos fieri oportere. Gratia uerò non manibus multo minus operibus manuum, sed fide, quæ est efficax in corde, accipi et retineri potest. Hæc sine ulla dubitatione est immota ueritas. Et est mirabile, quòd S. Petrus, qui ut Apostolus mandatum habet & autoritatem cum toto collegio Apostolorum de nouo constituendi hunc articulum, (ideo enim ipsi nominantur et sunt fundamenta Ecclesiæ) tamen retrò cedit, & adducit exempla primæ & electæ Ecclesiæ Dei, omnium*

patriarcharum

patriarcharum & prophetarum inde usq; ab initio, & uult hoc dicere: Non est hæc doctrina recēs conficta. nam & maiores nostri, & omnes sancti omnium temporum, eam professi, & fide amplexi sunt. Quid igitur nobis pollicemur, aut conamur, quasi qui noua & multo meliora dogmata cōminisci possemus, nisi quòd hac uanißima persuasione Deum tentamus, & fratrum conscientias perturbamus, & languefacimus.

Hoc inquam est substantiale uel principale in hoc Concilio, propter quod hæc celeberrima Synodus indicta uel conuocata, & omnibus deliberationibus ad doctrinam in Ecclesia pertinentibus ceu colophon addita est. Sed Papasellus non respicit aut curat hoc quod est principale: tantū obiter aspicit illa quatuor membra, quæ addit Iacobus, de sanguine, de suffocato, idolothytis, & fornicatione. Hinc enim ijs nerui suppetunt, quibus confirment suam tyrannicam & iniustam se uitiam: & quidem hunc zelum audacißimè prætexunt, cum Ecclesia mutauerit hos articulos, sibi quoq; licere hoc, ut articulos fidei & concilia mutent pro libidine. Hoc est, NOS SVMVS ECCLESIA: nobis quod libet, licet facere & statuere. Audis Papaselle? Tu cum tuis omnibus galeris es stupidus, stolidus & grandis asinus, imò obscœnus porcus es, & sordidißima scropha fœdior,

dior. Hic articulus huius Concilij nec collapsus, neque mutatus est, sed omnibus temporibus inde usq; ab initio Ecclesiæ (ut hic Petrus dicit) permansit immotus, et manebit porrò usq; ad finem mundi. Semper enim omnibus ætatibus mundi fuerunt homines sancti, qui tantum per acceptationem CHRISTI gratuitam, non per legem saluati sunt: sicut etiam inter illos furores regni Pontificij manserunt utcunq; uerba textus, mansit qualiscunq; intellectus promißionis, & fidei accipientis promißionem: mansit intellectus baptismi, cœnæ Domini, clauium, & uenerabilißimi & sanctißimi nominis IESV CHRISTI, etiamsi Papa suis Satanaticis et horribilibus mendacijs furenter contradixit ueritati, & magnam partem humani generis (proh dolor) horribiliter seduxit.

Et de Niceno cõcilio diximus antea, quòd forma decreti in Synodo composita, & antea in Ecclesia extitit & mansit. Nam decreta uerorũ Conciliorum, consentientium cum immutabili norma doctrinæ cœlestis perpetuò manent immota: sicut etiam perpetuò manserunt, in primis uerò articuli fidei principales, à quibus Concilia origimẽ & denominationem suam (ut sic dicam) accipiunt. Quid uerò in hoc Concilio Apostolorum dicendum nobis erit, ex quo sanctus Iacobus hæc q...

tuo.

tuor excerpit, sanguinē, suffocatum, εἰδωλόθυτα, & fornicationem? An non Concilium illud à seipso & Spiritu sancto secum dissentit? Nam hæc duo manifestißimè et è diametro inter se pugnāt, imponere conscientijs onus legis Mosaicæ, *& nō imponere.* Et *si quis uellet hic ludere sophismatis, quasi diceretur in* Concilio *non de tota lege, sed de partibus, quarum aliquæ possent imponi, aliquæ nō possent, is nobis non satisfaceret: quia* S. Paulus *Gal. 6. discertè ponit hæc uerba: Qui unam partē legis seruat, illum etiam totam legem seruare necesse est.* Tantundem *est hoc, ac si fateretur se debere obedientiā toti legi, ut qui particulā legis alioqui nō magni esset facturus, & statim huc esset proditurus, qui nouum centonē ueteri tunicæ uellet assuere, unde futura multo esset futura deformior.*

Manifestum *& hoc est, quòd hæc membra recitantur in lege* Mosaica, *& nusquā alibi in* Ethnicis *legibus.* Quid *enim aliàs opus fuisset ethnicis talia imponere, nisi illis ipsis tanquam patrijs legibus assueuißēt, ac innutriti essent?* Quomodo *igitur cōciliabimus hæc pugnantia,* Nulla *lex, & omnes leges?*

Sit *ita sanè: si non poterimus conciliare ista, potius dimittamus* Iacobum *cum suo articulo, quàm ut repudiemus illum principalem & magnum articulum*

ticulum S.Petri,propter quem hæc synodus conuocata & celebrata est. Nam hic ipse articulus tanti est momenti,tanti ponderis, ut sine eo nulli mortalium æterna salus speranda sit. Cornelius autem,et alij Ethnici,quos S.Petrus apud ipsum, & cum ipso baptizauerat, sanctificati & saluati sunt,antequàm S.Iacobus hunc articulum conderet,ut S. Petrus in hoc concilio grauißimè cōcionatur. Suprà etiam attigi,an salua conscientia hæc membra omitti poßint? cum Spiritus sanctus arbiter,præses,& iudex sit huius Concilij. Verùm hæc disputatio aliquanto est acutior, an hoc concilium à se ipso dissentiat,et ipsum sibi sit cōtrarium. Sicq; simulac nos uolunt leuare ingenti & durißimo onere, adhuc difficilius & durius multo nobis imponunt,uidelicet ut simul et semel nihil & omnia faciamus. Equidem nunc,posteaquam temporibus illa consenuerunt, facilè nobis est sentire cum una parte, uidelicet cum articulo Petri,qui sinceram & catholicam fidem incorruptè tradit.

Tantum incestus seu fornicatio,quæ est quarta pars in articulo S.Iacobi,nōdum exoleuit: tametsi ante annos XX, Curtisani,& illa detestabilia catharmata, iam tum incipiebant contemnere, quasi quotidiana consuetudine uilescerent peccata libidinum, nec haberentur pro mortali-

bus, sed pro leuiusculis & nihili peccatis: & erat eis in ore cōmune dictum, Natura *petit exitum: quod hodie iactitant* Romæ *sanctißimi hypocritæ, quasi bellum aliquod dictum.* O *beluas, & bestias tetras.* Et *est credibile, illos excæcatos homines (ut est ipsorum profanitas) abusos esse hoc ipso textu, ad excusanda libidinum scelera. Cum enim S.* Iacobus *fornicationem numeret inter alia tria, quæ non amplius obligant, talem consequentiam inde raciocinati sunt: Si non ualet amplius probibitio sanguinis suffocati,* καὶ εἰδωλοθυτῶν, *ergo etiam non ualet probitio incestus seu scortationis: quia* Iacobus *eam etiam numerat inter illa tria membra, & alioqui est naturale & humanū opus. Abeant illi impurißimi in malam crucem. Ferent tandem profanitatis & impietatis suæ digna præmia.*

Ego *meum hac de re iudicium exponam, alij melius iudicent. Sæpe iam diximus, concilia semper esse æstimanda ex articulo principali, qui primùm concilio occasionem præbuit. Illud enim & ibi* Concilium *est substātialiter, ac illud poßemus uocare corpus seu animam* Concilij, *ad quod omnia illa accommodanda & dirigenda sunt: sicut uestis debet accommodari seu quadrare ad modū corporis, quod uestitur: cum non quadrat, abijcitur, nec habetur amplius pro ueste. Nō potest autem*

tem esse ullum conciliū (nec quidē ulli cōuentus, siue sint comitia, siue capitulum) in quo, posteaq̃ sunt finitæ controuersiæ de negocijs principalibus, non incidant quædam, unum uel alterum de rebus minutis: ea igitur interdum una & eadem opera sarcienda, seu simul expedienda sunt, ut in concilio Niceno. Posteaquam enim fuit disputatum de articulo principali, quòd Christus sit natura Deus: statim obtulerunt se alia ciuilia seu externa negocia de Paschate, item alia de ritibus Ecclesiasticis. Planè sic quasi quoddam πάρεργον obiter, ita & hic disputatum est de articulo S. Iacobi, absoluta disputatione priore de articulo S. Petri, qui fuit principalis.

Est igitur omnium Apostolorū, & huius Concilij uera & immota sententia, seu decretum hoc: Hominem sine lege, sine onere aut exactione ulla legis, tantum per gratiam IESV CHRISTI saluari oportere. Cumq; S. Petrus, S. Paulus, & ipsorum collegæ, impetrassent huius decreti confirmationem, lætabantur, & bene erant contenti. ut enim impetrarent, sudandum ipsis, & acerrimè luctandū fuerat contra pharisæos & Iudæos: qui etsi erant conuersi, tamen legem esse seruandam statuebant. Iam quòd addit S. Iacobus suum articulum, ipsi non prohibent, cum id non exigatur ut lex, aut onus legis: id quod meminit Episto

la huius Concilij, Nihil oneris, &c. Quasi dicat, nõ uolumus uobis imponere ullum onus, tantum ut abstineatis à sanguine: imò ne hoc quidē prohibuißēt, etiamsi sanctus Iacobus plures traditiones, ut de lepra, aut similes, addidisset. Manēt enim X praecepta, perinde ac si illa non adderentur.

Verùm haec non debent esse lex, aut onus legis (inquiunt) sed alioqui necessaria. Cum uerò onus desijt esse onus, non ualde premit aut fatigat baiulum. Sic cum lex desijt esse lex, non est difficile seruare legem. Quanto magis fit hoc in caeremonijs? praesertim quando aut abolentur, aut ualde parum de ijs retinetur. Si enim Papa nos leuaret oneribus traditionum, nec uellet eas haberi pro lege, facile uellemus ei obedire, praesertim si parum de ijs retineret, & illam uastam molem destrueret. Oportet igitur ita intelligi articulum S. Iacobi, ut articulus S. Petri de gratia sine lege constanter & integrè retineatur, & sine lege solus regnet.

Volumus tamen etiam considerare caussas, propter quas haec πάρεργα sanctus Iacobus disputet, ut deniq; mentem huius Concilij introspiciamus penitus. Erat Iudaeis lex Moysi (ut ita dicā) agnata, innata, innutrita, incorporata et implantata à teneris, quasiq; in ipsorū naturam cōuersa ac commutata, ut S. Paulus inquit Gal. 2. ἰουδαϊζο

μενα

μελα τῇ φύσει, id est, Mosaicè nati sumus. loquitur enim hîc de lege, non tantũ de natiuitate seu propagatione carnali: Propterea non poterant tolerare mores Ethnicos, nec patiebantur se conferri cum Ethnicis, ubicunq; tandem sparsi erant inter gentes, cum uiderent quomodo ~~Iudæi~~ sanguine & suffocato uescerentur, & idolothytis, & tamẽ gloriabantur se esse populum DEI, uel Christianos. Hæc expendit S. Iacobus, ut talia scandala prohiberet, ne Ethnici nimis petulanter abuterentur libertate, in ignominiam Iudæorum: sed uterentur quadam ἐπιεικείᾳ, ne uidelicet Iudæi, in quibus lex tam altè radices egerat, offenderentur, & Euangelio superbè illuderent: quia profectò infirmis & palantibus hominibus compatiendũ est. Et ut nos ebrij Germani quandoq; bellè sapimus, & dicimus, Viro ebrio uel plaustrum cedat fœno onustum: quia nõ statim habebitur Hercules aut Hector, qui ad certamen prouocabit podagricum, aut alioqui ualetudinarium: nec statim habebitur doctus, uel artifex, qui cum indocto cõcertare uolet.

Nunc uerò S. Iacobus agit ualde molliter & ἐπιεικῶς. Omittit integram legem Mosæ de sacrificijs, & omnibus alijs ritibus, quos ipsi Hierosolymis, imò in tota Palæstina seruare cogebantur: & tantum recitat hæc quatuor membra, quibus

Iudæi uersantes cum ethnicis extra Hierosolymas offendebantur. Nam Iudæi paßim dißperſi inter ethnicos, cogebantur uitam & mores illorum aſpicere, habitare apud eos, & cum ijs nonnunquã uti communi menſa. ibi fuit ualde moleſtum, præterea etiam iniuſtum, Iudæo apponere lucanicas, leporinas coctas cũ iure nigro, εἰδωλόθυτα: cum ſciretur, quòd ipſe non poſſet ferre, quin putaret ſibi hoc fieri in contumeliam. Perinde enim eſſet, ac ſi dicerem, Audis Iudæe, etſi poſſem te ad Chriſtum adducere meo exemplo, quòd non ueſcor lucanicis, aut eas tibi non appono: tamen nõ uellem hoc facere, ſed eſu huius lucanicæ uolo te à Chriſto abſterrere, & præcipitare in inferos. Eſſet ne hoc humanum, ut non dicam Chriſtianũ? An non quilibet homo in uita cogitur cõniuere ad multa errata, & aliquid alij condonare, cum uidet & ſcit ſua dicta uel facta ſauciare alterius conſcientiam, præſertim in talibus quæ non ſunt immediatè contra Deum?

Iam tunc temporis ethnici erant infenſißimi Iudæis, & efferebant ſe aduerſus eos, ut qui in ipſos haberent imperium: ita uicißim irritabantur Iudæi, ut qui ſoli eſſent populus Dei, ſicut ſacra Biblica hiſtoria hoc in multis locis euidentißimè teſtatur. Erat igitur hoc ſalutare conſilium S. Iacobi, ualde accommodum ad ſanandas illas offenſas,

& ad liberandas plurimorum conscientias:ut uidelicet ethnici gentiles,quia iam Christi gratiam sine lege & suis meritis consequuti fuerant,uicissim se Iudæis faciles præberent in paucißimis rebus tanquam infirmis & errabundis,quò & ipsi ad Christi gratiam aliquando perducerētur.Cum enim ea res nihil haberet impietatis, etiamsi à sanguine,suffocato, idolothytis in publico & externo usu abstinerēt:quia tamen singuli in suis conscientijs per gratiam ab illis omnibus erant liberati,propter utilitatem & salutem Iudæorum aliquanto agerent humanius. Et alioqui absentibus Iudæis,sine cuiusquam offensione,uorare & plenis cyathis haurire liberè poterant, quicquid libebat, salua ipsorum conscientia:neúe Iudæi periclitarentur in suis conscientijs, etiamsi ueterem cōsuetudinem externam tam subitò deponere aut mutare non poterant.De omni enim assuefactione uerum est,consuetudo est altera natura:multo magis de illa uerum est, quæ ex lege Dei à primis usq; cunis ad iustam quasi ætatem accreuit. Præterea etiam æquitas docet,& ratio,neminē in talibus rebus temerè iritandum aut impediendum esse:sed pro uirili inseruiendū esse singulis,iuxta præceptū,Diligēs proximū tuum sicut teipsum. Itaq; hi duo articuli S. Petri & S.Iacobi,uidētur pugnare in speciē, cū reuera tamē nihil pugnēt.

S.Petrus de fide concionatur: S.Iacobus disputat de officio dilectionis. S.Petri articulus nec frenum patitur, nec legis uincula curat: sed pro libidine sorbet sanguinem, uescitur suffocato & idolothytis, adeoq; ipsum deuorat diabolũ, sine ullo salutis aut conscientiæ periculo: quia fides agit immediatè cum Deo, non cum ullis hominibus: ac de nulla alia re est sollicita, quàm ut apprehendat propitium Deum. Sed S.Iacobi articulus uersatur in illa magna multitudine hominum, utitur cum ijs communi mensa, & omnia ad illum finem dirigit, ut alij quoq; erudiantur de articulo S.Petri: & sedulò hortatur, ne cuiusquam conscientia, dum est in cursu ad salutem, detineatur, aut impediatur. Iam officium dilectionis quæ exercetur in alios in hac uita, illud est, ut hoc quod ipsa amat & appetit, mutabile & caducum sit, nec perpetuo frui eo poßit: sed tandem ut res transitoria euanescit, & succedit postea aliquid aliud, quod etiam amat usq; ad finem mundi.

Posteaquam Iudæi dißipati et pertinaces facti fuerant, nec ethnici amplius ulla probabili ratione ad illos complectendos induci poterant, sponte conciderunt illa omnia: nec mutata sunt per Ecclesiasticam potestatem, ut audacißimè mentiuntur Papistæ: sed quia caussa iampridem fuerat remota, Christiani liberè uſi sunt sanguine & εἰδωλοθύτοις

λοθύτοις. id quod in gratiam Iudæorũ, ut ita paulatim allicerentur, ad certum tempus intermiserant: tametsi, ut id facerent, non tenebantur ulla lege coram Deo, quem illi apprehendebant fide. Si enim S. Iacobus illa tanquam leges sancire uoluisset, necessariò etiam totam legem denuò sanxisset seu promulgasset, ut Paulus disputat Gal. 6. Qui seruat unã legem, cogitur seruare omnes leges. Hæc esset una cõtradictoria, pugnans cum articulo S. Petri, quem S. Iacobus hic confirmat.

Quod uerò meminit ibi scortationis, quæ tamen in decem præceptis æterno & immutabili mandato est prohibita, arbitror hanc fuisse caussam: quia ethnici extenuabant peccata libidinũ, imò non putabant esse peccata, quod constat ex ipsorum scriptis comœdijs & poematis: & ut suprà dixi, ante annos X X, Curtisani & canonici, uentres, & inutilia pondera terræ, etiam cœperant palàm talia concionari & affirmare. Existimabant igitur ethnici, æquè leue erratũ esse scortari, ac uesci lucanicis, aut leporinam perfundere iure nigro, quod sit tinctum sanguine, aut uesci idolothytis. Legat aliquis Romanam historiã, ibi uidere est quàm inuiti duxerint uxores Romani, ut etiam Augustus legibus & seuerißimis pœnarum exemplis eos cogeret ad honesta cõnubia: quia persuasum ipsis fuerat, scortationem esse licitam:

citam: & quidem fieri ipsis iniuriam, si lege aut pœnis ad coniugia cogerentur. Vult igitur S. Iacobus docere gentes, ut sponte, non coacti à magistratu, scortari desinant, ac uitam coniugalem, pudicam et castam magnifacere discant: quod quidẽ faciebant Iudæi, quos ualde offẽndebat illa licẽtia impunè scortandi, & non poterant sibi persuadere illos debere fieri participes gratiæ diuinæ, & esse populum Dei, propter illam ciborum et uitæ dissimilitudinem.

Ita Apostoli gentilibus legem imposuerũt: & tamen eandem Iudæis remiserunt aliquandiu, & simul de gratia intrepidè et magno ardẽtissimoq; spiritu concionati sunt. ut uidere est in S. Paulo, quod apud Iudæos Iudaico more, apud Ethnicos ethnicè uiuit, ut omnes Christo lucrifaciat. 1. Cor. 12. Ex qua causa etiam circũcidebat suũ discipulũ Timotheum, qui tamen iam fidelis factus fuerat, Act. 17. non quasi oporteret fieri, sed (ut Lucas scribit) fecit hoc in gratiam Iudæorum, qui habitabant in istis locis, ne uidelicet præberet eis occasionẽ scandali. Postea etiam Act. 21. Permittebat se purificari in templo cum alijs Iudæis, & sacrificabat secundum consuetudinem legis: quæ quidem omnia faciebat ideo, quia ut S. Augustinus quasi insignem, nunc plurimum celebratam sententiã commemorat, Oportuit Synagogã, id

est Mosen, cum tota sua politia & lege ceremoniali, cum honore sepeliri.

Qua uerò conditione hoc Concilium, & uterque sancti Petri & sancti Iacobi articulus receptus ac retentus sit, copiose legitur in Epistolis sancti Pauli: qui quidem in plerisq; locis conqueritur de pseudoapostolis, & accusat eos, quòd legem tantopere urgeant contra doctrinam de gratia, totas familias & gentes à CHRISTO auulsas ad legales traditiones reducant, sub prætextu nominis CHRISTI, sicut etiam post Nicenum cōcilium res penè ad extrema delapsa est.

Cum enim Arius, homo flagitiosus, humiliter se gereret, dataq; fide confirmaret iuramento publico, se obsequuturum, quod ipsi ab Imperatore Constantino fuerat impositum, rursus ad Synodum admissus est. Ibi uerò quantum dedit immanis & horribilis damni? quas turbas mouit? Et habebat socios harum factionū Episcopos, qui erant à partibus ipsius, nebulones perfidissimos. Qui magis etiā deinde tumultuati sunt post mortem Constantini, impellēte filio Imperatoris Constantio, quem ad suas partes inflexerāt: & ita exacerbauerant, ut omnes omnium terrarum Episcopos ageret in exilium, præter duos istos Gregorium & Basilium. Aliqui narrant hic, patrem Constantinum ante obitum desciuisse quoque ad

Arium,

Arium, & quendam sacerdotē Arianum diligenter commendatum ipsi à sorore Constantia in agone, quem porrò etiam cōmendarit in testamento filio Constātio, per quem Ariani postea ad fastigia honorū et summarū dignitatū sunt euecti.

Hæc exempla nos monēt, ut pro potestatibus seriò et ardenter oremus, quia diabolus illos præcipuè suis artificijs infestat, ut ijs tanquam organis utatur ad opprimendam Ecclesiam. Et ut nos quoq; simus cauti, nec facilè patiamur nos circunueniri à fanaticis spiritibus, etiam cum se ex alto deijciunt ac demittūt, ut faciebat Arius: quo modo & Saul quadam humili specie Dauidem decipiebat. Vulgò dicitur, Aliquando compunguntur & mali. Sed plerunq; tales, suas imposturas & fraudes occultant, donec nacta occasione uenenum suum in alios effundant. Ibi uerò inflati incedunt, & uertice sidera tangunt: & quod iampridem astutè reticebant, tandem produnt. Ideoq; nihil mirum, cur patres tam longas & duras satisfactiões imposuerint apostatis. Haud dubiè enim sunt experti, quàm sit insidiosa & ementita talis species: & quàm sit difficile hypocritis, seriò & ex animo se humiliare, & dolere de scelere. ut etiam Syrach dicit: Ab inimico reconciliato cauendum, &c.

Summa, qui nondum scit, scilicet quid uocetur

osculum

osculum Iudæ, is mecum legat historiam Arij sub Constantino: ac tandem fatebitur, quòd Arius sua sophistica longè uincat ipsum Iudam: quia astutißimè decepit optimum principem Constantinum, pulcherrima specie horum uerborum: Credimus in Deum patrem omnipotentem, & in IESVM CHRISTVM filium eius unicũ, &c. qui natus est de ipsius substantia ante conditionem mundi & omnium creaturarũ, unicus Deus, unicus λόγος, per quẽ omnia facta sunt. Quæso te, cui nam Christiano uideretur esse admixtũ his uerbis aliquid ueneni seu corruptelarũ? Quis putaret, his ipsis uerbis impudentißimè affirmare Arium, Christum esse creaturam? quod tamen tandem patefit, cum auditur Arius.

Simili arte deludit ac uexat homines post Arium, Auxentius episcopus Mediolanensis, proximus antecessor S. Ambrosij. Hic uerò etiã ita pingit monstra errorum, ut primo intuitu penè stomachatus essem cõtra Hilarium, cum legerem inscriptionem, Blasphemia Auxentij, in frontispicio confeßionis Auxentij. Ac quod magis est, propter hæc Auxentij uerba ausus fuissem periculo exponere animæ & corporis mei salutem, & iuramento cõtendissem, deceptus scilicet tali fuco, statuere Auxentiũ quòd CHRISTVS sit natura Deus. Credo etiam, inter tales præstigias uerborum tamen

men multas bonas & simplices mentes retinuisse ueram sententiam, congruentem ad ueterem formam symbolorum, ut quæ non potuerunt aliter intelligere illa uerba, quàm sonant symbola, quæ extiterunt inde usq; ab initio Apostolicæ Ecclesiæ. Nec possunt aliter intelligi ab ullo homine, qui nihil scit de sophistica aut corruptelis Arij.

Et quia necesse est propter graues caussas extare memoriam talium exemplorum apud homines pios in Ecclesia, & rudis lector per se non adeò attendit historiæ, ut cogitet, quàm sit utilis ad commonefactionem, qua iubemur uitare omnes fanaticos spiritus, quorum errores Diabolus ipsorum deus ita facit lubricos, ut nusquam apprehendi aut teneri tutò posint: hanc controuersiā breuiter in certas partes distributā explicabo.

Primùm docuit Arius, CHRISTVM non esse natura Deum, sed esse substantiam creatam. ibi uerò conuictus à pijs Episcopis, illustribus argumentis, fateri cogebatur CHRISTVM esse Deum. Quod quidem ipse cōcedebat, sed malè detorta significatione uocabuli: id est, CHRISTVM esse Deum, qualis est Petrus, Paulus, uel quales sunt angeli quos Scriptura etiam Deos & filios Dei nominat. Secundò, cum igitur patribus esset suspectus Arius de fucosa conciliatione, ipsum porrò concludebant, ut & ipse & ipsius sectatores

ſtatores concederent, Chriſtum eſſe uerè & natura Deum. Simulant ergo ſe non abhorrere à communi iudicio & conſenſu Eccleſiarum, quæ inde uſq; à temporibus Apoſtolorum hanc doctrinam conſentiente uoce et animis profeſſæ fuerant. Sed in priuatis conuenticulis Ariani ita deprauabant hæc uerba, in primis Euſebius epiſcopus in Nicomedia, peculiaris fautor & amicus intimus Arij: Omne factum Dei eſt uerum: quia quicquid non eſt uerum, hoc non eſt factum diuinitùs. Volumus igitur palàm fateri, Chriſtum eſſe uerè et natura Deum. Sed priuatim unuſquilibet noſtrûm apud ſe ſtatuat, Chriſtum eſſe creatum & facticium DEVM, qualis eſt Moyſes et omnes ſancti, &c. Hic concedebant illa omnia quæ hodie canuntur in templis diebus Dominicis, iuxta inſtitutionem concilij Niceni: DEVM de Deo, lumen de lumine, Deum uerum de Deo uero.

Tertiò, cum deprehenſa eſſet & hæc impoſtura ſeu ſycophantia Arij, quòd prætextu horum uerborum, Chriſtum tamen nominaret creaturã: ſiebat diſputatio uehementior, ut denuò cogerentur fateri Chriſtum fuiſſe ante conditum mundũ. Quis hic aliud cogitaret, quàm Arium & ſuos Epiſcopos eſſe homines ſanctos, & iniuſtiſsimè à cõcilio Niceno damnatos? Sed ipſi cœperunt excogitare corruptelas paulo poſt Nicenam ſynodum

dum (quæ quasi Gordium nodum dissoluerat labirynthos Arij, & symbolum composuerat quod adhuc extat) quia ipsi conabantur paulatim labefactare authoritatem cõcilij Niceni, & quidem unam partem doctrinæ post aliam destruere.

Quartò, cum iam denuò esset patefacta ea calumnia Arianorũ, contendẽtium Christum tamẽ & esse & uocari debere creaturam, addita tali corruptela, Christum quidẽ fuisse ante uisibilem mundum, id est ipsum esse creatum et factum antequàm hic uisibilis mundus, aut ullæ substantiæ in hoc toto ordine creaturarum conderentur: coacti sunt fateri, hanc mundi machinam, & omnia quæ in ea continentur, per ipsum esse condita, ut Ioan. 1. dicitur. Tamẽ cum essent apud suos, interpretabantur hoc modo: Christũ prius fuisse conditum, & postea omnes alias res per ipsum esse conditas.

Quintò, facile concedebant hanc particulam, Genitum, non factum: Genitum, id est, ut omnes sancti ex Deo nati, filij Dei fiunt, Ioan. 1. Non factum, scilicet inter alias creaturas, sed ante omnes alias creaturas.

Sextò, cum iam processum esset in disputatione usq; ad summũ, quòd Christus esset ὁμοούσιος, cum patre consubstantialis, id est, una & æquali deitate, una & eâdem potentia: ibi tum nulla sophistica,

phistica, nulla eis rima ad elabēdum patebat amplius. ὁμοούσιος significat æqualis, seu idem quoad substantiam & naturam, seu una ὑπόστασις, non geminæ: qua sententia in Concilio patres hoc uerbo usi erant, & Latina uersio habet Consubstātialis. Alij, ut uocabulum esset expreßius, uerterunt Coexistentialis & coessentialis. Hoc receperunt Nicææ Ariani in Concilio, & utebantur ijsdem uocabulis, cum apud Imperatorem uel patrum ordines dicenda esset sententia. Sed in priuatis disputationibus, si quæ inter ipsos habebantur, rabiosißime pugnabant contra illa uerba, & contendebant nusquā poni hæc uocabula in Sacris literis: Ac sæpe cōuocabant Synodos adhuc Constantini temporibus, ut labefactarent sententiam & autoritatem concilij Niceni, et multarum confusionū autores erant. Posthæc etiam nostros ita cruciabant labyrinthis seu præstigijs disputationum, ut S. Hieronymus uehementer perturbatus, lamentabiles literas scriberet ad episcopum Romanum Damasum, & cuperet expungi uocabulū ὁμοούσιος: Nescio, inquit, quæ toxica φάρμακα mixta sint illis ipsis literis, quibus quasi œstro perciti Ariani, adeò furenter insaniunt.

Et adhuc extat Dialogus, in quo Athanasius & Arius rixantur, præsidēte Probo quodā præfecto, de eodem uocabulo ὁμοούσιος. Cumq; acerrime

rimè pugnaret Arius, hoc uocabulũ nõ extare in Scriptura: Athanasius opposuit ei, ne hæc quidem uerba reperiri usquam in Sacris libris, innascibilis, ingenitus Deus. *Illis enim usi fuerant Ariani, ad probandum quòd* CHRISTVS *non posset esse* Deus, *cum sit genitus.* Deum *autem esse ingenitum, innascibilem.* Præfectus Probus *iudicabat & pronunciabat contra Arium. Quia uerißimum est, nihil docendum aut affirmandum esse in rebus diuinis cõtra testimonia scripturæ, ut S. Hilarius scribit lib. 1. de* Trinit. *Quod dictum hoc uidetur uelle, nihil aliud esse docendũ, quàm quod in Scriptura traditum est. Quod uerò nõ sit utẽdum alijs aut pluribus uerbis quàm sunt in scriptura, hoc non potest fieri, præsertim in disputationibus, quando hæretici cõtrouersias sophismatis corrumpere, & uerba* Scripturæ *inuertere conantur. Ibi enim opus erat, ut sententia scripturæ tot dictis recitata, comprehenderetur certo uocabulo, quod summam rei breuiter & aptè complecteretur: ipsiq; interrogarentur, an Christum crederent esse* ὁμοούσιον. *Hæc enim est perpetua sententia omnium uerborum in Scriptura, quæ ipsi falsis interpretationibus apud suos inuertebant, tametsi coram* Imperatore *& in* Concilio *publico ea profeßi fuerãt.* Perinde *ac si Pelagiani uellẽt cauillari, expungenda esse ex nostris libris uocabula,*

bula, Peccatum originis, aut lues Adæ, quia nō ponuntur in scriptura: cum tamen plurima loca scripturæ sententiam horum uerborum expreßißimè doceant: ut quòd simus concepti in peccato, Psal. 50. Simus omnes naturâ filij iræ, Eph. 2. Et omnes propter unius peccatum constituti in peccato, Rom. 5.

Dicas tu mihi, si hodie ad te ueniret Arius, & profiteretur tibi integrum symbolum Niceni concilij, quod hodie apud nos in templis canitur, an posses eum accusare tanquam hæreticū? Ego ipse dicerē, rectè sentire Arium, etiamsi ipse hæc inuolucra nequitiose prætendens aliter sentiret, & absens uocabulis affingeret peregrinas interpretationes: an non essem bellè deceptus? Non igitur assentior ijs qui dicunt, Constantinum desciuisse ad Arianos: sed potius credo, eum amplexum esse conciliū Nicenū. Illud autē haud dubiè ei accidit, quòd calliditate quadam deceptus, fidem habuit Ario, qui simulabat se suffragari cōcilio Niceno, idq; (ut suprà dictum est) iureiurādo affirmabat.

Mandabat igitur Constantinus, ut Alexādriæ in pristinum locum restitueretur. Cum autem Athanasius, ut qui ueteratorem Arium melius nosset quàm Constantinus, permittere id nollet, pulsus est in exilium.

Potuit enim Constantino, ut homini, uenire in

mentem, quasi Arius, homo pius & bonus, ex inuidia quorundam, aut falsis suspicionibus Nicææ iniustè cōdemnatus esset: præsertim cum Ariani, & in primis Eusebius ex Nicomedia, se insinuarent in familiaritatem Imperatoris, & opplerent ei aures multis ambagibus, defendentes & excusantes Ariū. Nam in aulis, magni Reges & principes, etiamsi in ipsis naturæ bonitas est eximia, non semper habent angelos, aut Ioannem baptistam à consilijs: sed nonnunquam etiam diabolos, Iudam & Doeg, ut ostendūt libri Regum. Et fuit beneuolentiæ significatio illustris, quòd Constantinus ante obitū curauit reuocari ab exilio Athanasium, quantumuis prohiberetur ab Arianis. 3. Tripart. 11. Hoc enim facto testari uoluit, nequaquam se reijcere concilij Niceni uel Athanasij doctrinam: sed hunc se finem spectasse, ut una & consentiens uox doctrinæ in omnibus ecclesijs & templis tandem sonare posset.

Planè sic faciunt nostris temporibus quidam Papistarum acuti scriptorculi, qui præ se ferunt quendam zelum, quasi uellent docere de fide & bonis operibus ut se ornent, & nos inuidia multiplici onerent: quasi omnibus temporibus ita docuerint, atq; à nobis falso accusentur de alio genere doctrinæ: ut uestibus ouillis superficietenus iniectis, quasi nobis essent simillimi, arte poßint

famelicum

famelicum lupum reducere in ouile. Non enim re ipsa hoc uolunt, ut de fide doceant, & de bonis operibus: sed quia uenenũ et lupinam rabiem suam (Arianorum more) non aliter possunt confirmare & stabilire, quàm talibus fucis & uestimentis ouilibus de fide & bonis operibus, exornant & occultant exuuias lupi, donec ouile rursus occupent. Sed hoc quod nobis fit, ipsis fieri deberet: hoc est, præcipiendum ipsis erat, ut idololatricas prophanationes reuocarent, & re ipsa hoc ostenderent, abolitis omnibus abusibus, pugnantibus cum doctrina de fide, qui in ipsorũ templis apud miseram plebem cernuntur. Alioqui nudis uerbis & gestibus, id est ouillis pelliceis, fides haberi non potest.

Ita suus Ario reuocandus error fuerat, & factis ac uita ipsa ostendenda emendatio, abiecta priori uita: quemadmodum Augustinus uita & facto ipso renunciabat Manichææ sectæ. Ac nunc quoq; multi papisticam & monasticã uitam abnegant, inter quos me quoq; Dei beneficio numerare possum: sed ipsi nolũt fateri culpam, neq; Deo hunc honorem habere possunt, ut fateantur: sicut Ariani etiam uolebant defendi sua mendacia, nec excommunicari se à concilio patiebantur.

Hæc historica exempla meminisse utile est, præsertim nobis qui sumus in ministerio Ecclesia

 stico,

ſtico, & ſingulare mandatū habemus, ut CHRISTI *gregē fideliter tueamur, ut magna cura boni* Epiſcopi *officio fungamur: ſicut* Petrus *dicit,* 1.Pet. 5. Quia Epiſcopum *eſſe, eſt diligenter attendere, uigilare, in hoc unum ſumma contentione & ſtudio incumbere, ne* Diabolus *nos incautos præoccupet.* Nam *hic uidere eſt, quàm artificioſe* Diabolus *in multiplices formas ſe transfundat, quadam mirabili metamorphoſi, ut tandem etiam lucidior fiat angelo lucis: & falſi* Epiſcopi *in ſpeciem ſanctiores ſint, quàm boni et fideles* Epiſcopi, *& lupus agno ipſo ſit ſimplicior.* Nobis *nunc nihil eſt negocij cum illis craſsis & atris* Papalibus *ſpectris, uel fantaſmatis, qui hinc inde in alia aliaq; loca uagantur, extra ſcripturam.* Iam *irrepunt fanatici ſpiritus. in ſcripturam & doctrinam noſtram, & uolunt nobis eſſe coniuncti: et tamen ipſos clàm ſtimulat quædam beluina ὄρεξις, qua cuperent nos dentibus laniare et deuorare uiuos. Sed* Spiritum *ſanctum oportet eſſe cuſtodem: alioqui cauſſa prorſus cadimus.*

Ex *his omnibus perſpicuè apparet, propter quas cauſſas hæc* Synodus *conuocata ſit: uidelicet non tantum propter externas cæremonias, ſed propter illum inſignem articulum de diuinitate* CHRISTI, *propter quem cœpit agitari cōtrouerſia, quæ in hoc concilio præcipuè eſt diſputa-*

ta,

ta, & postea Satanicis & infinitis furoribus impugnata. Nec fit ibi cæterorum articulorum mentio. Et durauit hæc tristis calamitas in Ecclesia, annos penè 300. Vt existimet S. Augustinus, quotidie ingrauescere pœnas Arij apud inferos, quãdiu error ille maneat. Nam Mahometismus ex hac secta, uelut præciso Hydræ capite, pullulauit. Et (quod suprà institui) uidere est, non tradi in hoc Concilio ulla figmenta noua, aut ullas traditiones nouas: sed symbolum uetus, contra recentem errorem Arij, testimonijs scripturæ sanctæ refutari ac damnari. Manifestißimum igitur est, non tantum authoritatis posse tribui ullis Concilijs, multo minus Romano pontifici, ut nouos articulos de fide aut bonis operibus comminiscantur aut constituant, sicut ipsi impudentißimè nugantur. Hæc tandem sufficiant de cõcilio Niceno, quod fuit primum & principale.

De concilio Constantinopolitano.

Alterum Concilium, quod fuit principale, conuocatũ est Constantinopoli, annis circiter L, post Nicenum, sub Imperatoribus Gratiano & Theodosio, cuius causse fuerunt istæ. Arius negauerat diuinitatem CHRISTI et Spiritus sancti. Hic interueniebat noua secta Macedoniorum (ut

ſemper unus error alium, una calamitas aliam trahit, ſine fine & ceſſatione.) Hi approbabant concilium Nicenũ, quòd Chriſtus eſſet natura Deus: & condemnabant Arium acerrimo zelo, cum ſua ſecta. Docebant autem, Spiritum ſanctum non eſſe natura Deum, ſed eſſe motum creatum diuinitùs, per quem Deus hominum corda moueret, illuſtraret, conſolaretur, confirmaret, & efficeret illa omnia quæ Scriptura de Spiritu ſancto concionaretur.

Hæc ſecta etiã plurimos mouit Epiſcopos, magnos uiros eruditione, iudicio et autoritate præſtantes. Et ſparſus eſt error ille tali occaſione. Macedonicus erat epiſcopus Conſtantinopoli, quæ una erat totius regni florentiſſima ciuitas uerſus Orientem: & ibi habuit ſuam reſidentiam Imperator. Ille epiſcopus primus fuit author huius ſectæ: et habebat hæc res magnam ſpeciem, quòd Epiſcopus, qui omnib. alijs antecellebat, & quidem in ipſa aula Imperatoris Conſtantinopoli, ſic doceret. Hic aſſentiebantur & applaudebant penè omnia loca, quæ erant adiuncta Conſtantinopolitanis, in regionibus adiacẽtibus Conſtantinopoli. Nec ſegnis erat Macedonius, ſed acerrimè urgebat negociũ, & libenter totum genus humanum (id quod in omnibus ſectis diabolo peculiare eſt) attraxiſſet.

Hic

Hic uerò boni Episcopi longè erant inferiores, quàm ut possent resistere Episcopali sectæ: cum quidem antea Arius, qui tantum erat minister Ecclesiæ in Alexandria, tales confusiones excitasset. Hic uerò non minister, non uulgaris episcopus, sed florentißimæ urbis, imò Palatij Cæsarij Constantinopoli Episcopus, talem cõfusionem excitauerat. Hic rursus appellare Imperatorē boni Episcopi cogebãtur, ut generale Concilium contra tales blasphemias indiceretur. Quod faciebat optimus princeps Theodosius Imperator, & locum Concilij definiuit in illa ipsa ciuitate Constantinopoli, in illa ipsa Ecclesia & templo, cui Macedonius episcopus præfuerat: sicut ante ipsum Constantinus concilium Nicenum quoq; uocauerat Nicæam, ubi erat episcopus Theogonius, qui Arium unà cum episcopo Nicomediense Eusebio euehi, & tandem restitui curauit.

Anno sequenti, episcopus Romanus Damasus etiam indixit concilium, & libenter egisset illam controuersiam Romæ, ut Romana sedes supremã potestatem conuocandi Synodos, & dijudicandi omnes controuersias, hac occasione acquirere, et parare sibi potuisset: uoluitq; nominari Cõcilium uniuersale. Vocabat enim ipse, ut supremus Episcopus in toto orbe terrarum, patres qui Constantinopolitano Concilio anno præterito interfuerant:

rant: uerùm ipsi nolebant comparere. Significabant autem ei per literas accuratè & piè scriptas, quid Constantinopoli in Concilio actum esset: & inter cætera ei indicabant, quòd Macedonij hæresim damnassent: præterea etiam nouos episcopos Constantinopoli, Antiochiæ & Hierosolymis ordinassent. Hui quanta audacia, quantum scelus: facere hoc, non præsciente & consentiente episcopo Romano? qui solus uolebat habere iurisdictionem, seu potestatem indicendi Synodos, quod tamen in ipsius potestate non erat: & iudicandi omnes hæreses, quod præ inscitia nō poterat: et præficiendi Episcopos, quod ipsi non licebat.

Præterea etiam grauiter & seriò abiurgant ipsum, & commemorant, quomodo recenti Ecclesiæ Constantinopolitanæ (nam tum ciuitas Constantinopolis recens erat condita) Nectariū præfecissent episcopum, & Antiochenæ Flauianum, Ierosolymitanæ Cyrillū. Nam hæc tria Episcopo Romano erant molestißima, & penè intolerabilia auditu & lectu. Primùm, quòd Constantinopolitanam nominant recentem Ecclesiam, ac Episcopum illi præficiunt: cum tamen non sciente aut uolente episcopo Romano, nec Ecclesia noua, nec Episcopus constitui uel ordinari debebat. Alterum adhuc est deterius, quòd Antiochenam nominant primam & antiquißimam Ecclesiam, in

qua

qua (ut ex cap. 11. Act. ostendunt) credentes in Christum primi omnium Christiani cognominati sint: & in qua Petrus et Paulus cum multis summis Apostolis Euangelium prædicauerint integrum septennium, & aliquanto amplius. Hoc si uellem dicere libera & uernacula lingua, perinde esset ac si dicerem: Auditis domine Episcope, Romane pontifex, uos non estis primus uel supremus Episcopus: sed si quæ deberet esse Ecclesia prima, iustius esset Antiochenã haberi pro Ecclesia, quæ S. Lucæ scripta & acta retinet: Romana uerò se primã esse nec scriptis nec factis probare potest. Sed ipsi fuerunt moderati & sapientißimi homines, qui ex Christiana charitate & patientia superbißimum Spiritum Romæ, arte, & sine asperitate ulla uoluerunt uincere: atq; ut Syrach docet, fomitem modica saliua restinguere: & adhortari ipsum, ut Episcopus Romanus cogitet, cum Euangelium non ex Roma Antiochiam, sed ex Antiochia Romam primùm peruenisset, meritò præferri antiquißimam Ecclesiam Antiochenam, recentiori Ecclesiæ Romanæ.

Talis ambitio Romani episcopi, ut ex ipsorum literis potest intelligi, peßimè habuit optimos & sanctos patres: neq; id immeritò. Et si interfuisset tali concilio LVTHERVS aliquis, nequaquã concesßisset tam molles literas scribi episcopo Romano;

mano: si saltē ulla ratione potuisset hoc prohibere. Summa, eiusmodi homines interfuerunt hic Concilio, *quibus uniuersa multitudo* Episcoporū *qui unquam* Romæ *fuerunt, ne matulam quidem porrigere potuisset.*

Tertium fuit longè durißimum, quòd Ierosolymitanam Ecclesiam *nominant matrem omnium* Ecclesiarum. *Ratio, quia ibi filius* Dei Dominus *noster* IESVS CHRISTVS *ipse fuit summus episcopus & pontifex: imò ipse ibi se obtulit pro peccatis totius mundi: item in illa ipsa urbe,* Spiritus *sanctus de cœlo datus est die* Pentecostes. Et *quidem postea* Apostoli *omnes simul (non tantum* Petrus, *quem* Romanus *episcopus stolidißimè iactitat)* Ecclesiam *rexerunt: quorum nihil unquam factum est* Romæ. *Quare latenter admonent* Romanum *episcopum, ut cogitet, se nihil minus esse quàm* Episcopum Hierosolymis, *in tali* Ecclesia *quæ sit mater omnium* Ecclesiarum *in toto orbe: & suam* Ecclesiam Romæ *esse infantilē* Ecclesiam, *præ ista: ideo quòd hæc ex illa, tanquā filia, primùm prognata & orta sit.* Non *enim* Romæ *uixit* CHRISTVS, *in terris uersans: nec* Roma *primùm ciues* Hierosolymitanos *aut* Apostolos *ad fidem adduxit: sed certū est, ipsum cum suo cœtu per* Ecclesiam Hierosolymitanam *ad fidem adductum esse.* Sicut S. Paulus *hoc ipso argumento*

mento fastum et ambitionem Corinthijs excutit, quòd non ab ipsis ad alios Euangelium propagari, sed aliunde ad ipsos adferri cœperit.

Ad extremum uerò supra modum sunt uehementes, & recenti ecclesiæ Constantinopolitanæ præficiunt patriarcham, atque hoc faciunt inscio & incõsulto episcopo Romano: quasi parum referat, ipsius autoritatẽ uel suffragia negligi. Hic demum exoritur bellum ἄσπονδον (ut Pontificij sycophantæ, impudentißimi κόλακες, ipsi scribunt) inter episcopum Romanum & Constantinopolitanum, de primatu, uel suprema potestate. Cum enim episcopus Constantinopolitanus (etsi urbs recens erat condita) ut patriarcha, prærogatiua Imperij & dignitatum æquaret Romanũ pontificem, metuebat Romanus Pontifex, ne episcopus Constantinopolitanus adepto primatu, ipsum excuteret: quod etiam postea accidit. Nam episcopi Constantinopolitani contendebant, Imperatoris residentiam uel aulam esse Constantinopoli, non Romæ: & Constantinopolim uocari nouam Romam. Ideoq; ipsum meritò esse supremum Episcopum, quia & ciuitatis & aulæ Imperatoriæ Episcopus esset.

Econtrà Romanus episcopus uociferabatur, suam Romam esse ueterem illam & γνησίην Romam: & Imperatorem uocari Romanum Imperatorem,

ratorem, non Constantinopolitanum: et Romam multo esse antiquiorē Constantinopoli. His puerilibus, muliebribus et ineptissimis conuicijs uellicabant se mutuò, ut scelus sit & turpitudo insignis, legere uel audire talia.

Durabat hæc rixa, donec Imperator salutatus esset Phocas, qui optimum imperatorem Mauricium (quem historiæ ut sanctum celebrant) suum dominum & antecessorem (cuius ipse fuerat dux in exercitu) cum coniuge & liberis parricidiali & nefando scelere crudelissimè interfecerat. Hic bonus Cayn publico decreto Romæ Bonifacio eminentiam super omnes Episcopòs attribuit. Et quidem hæc dignitas Romanæ sedis nullū debuit habere autorem, uel approbatorem meliorem, quàm hunc cruentum & parricidialem sicarium. Tam studiose cauit Diabolus, ne minus essent funesta auspicia Pontificatus Romani, quàm antea fuerant Regni auspicia, cum Romulus fratrē Remum trucidauit, ut solus imperio potiri, & ex se nominare ciuitatem posset. Sed non ualde curabant ista episcopi Constantinopolitani. Ac durauit deinceps hæc rixa perpetuò, etiam cum Romani interea (præterquam quòd erat confirmata ipsorū autoritas à Phoca imperatore) se ficulneis folijs ornarent atq; obtegerent, tonantes horrendo & immani rugitu, Apoc. 12, Ecclesiam Romanam

nam

nam unicam tenere primatum præ omnibus in toto genere humano, non ulla ordinatione humana, sed ex institutione Christi, Matth. 16. Tu es Petrus, &c. Sed Constantinopolitani animaduertebant Romanos episcopos, ut homines indoctos, uerba Christi ineptè & falso detorquere ad sua deliramenta, & ineptias illas stultas parum morabantur.

Ita hæ duæ ecclesiæ, Romana & Constantinopolitana, ambitiosè rixatæ sunt, de re nihili, uanissimis & nugacissimis nænijs, donec tandem utraq; horribiliter uastata & deleta est. Constantinopolitanam enim euertit Turcica & Mahometica rabies: Romanam Papatus, & illa blasphemiarum lerna, quæ continetur in Decretalibus.

Illa omnia eo libētius recito, ut uideat prudens lector, quomodo ex tam celebri synodo Constātinopolitana, ceu ex fonte manauerint semina maximarum confusionum, propterea quòd ibi episcopus Ecclesiæ ut patriarcha fuerat præfectus. Quanquam existimo utrinq; fuisse emersura immania odia, etiāmsi non præcessisset illa causa. Quia ambitiosissimus & arrogantissimus ille adlastor Romæ, iam tum incœperat illa in omnibus locis exigere (ut suprà dictum est) ab Episcopis. Et nisi à Constantinopolitano fuisset ei obiectum hoc impedimentum, haud dubiè aduersatus esset

episcopo

episcopo Alexandrino, Hierosolymitano & Antiocheno: nec cessisse decreto cōcilij Niceni, in quo ipse iuxta episcopum Alexandrinum, & sub episcopo Hierosolymitano collocatur. Nam ipse sibi arrogat prærogatiuam dignitatum, non quidem Conciliorum & patrum cōsensu, sed iure diuino: ut ipse rugit, tonat, & impudentissimè mentitur in suis Decretalibus.

Ita absoluimus alterū Concilium, nempe Constantinopolitanum: quod tria grauissima decreta edidit. Primò decretum est ibi, Spiritum sanctū esse uerè & natura DEVM: *& damnatus est Macedonius, qui Spiritum sanctum credidit et docuit esse motum creatum. Secundò, pseudoepiscopos ex ecclesia eiecit, & ueros episcopos ecclesijs, præsertim Antiochenæ et Hierosolymitanæ, præfecit. Tertiò, episcopum Nectarium Constantinopolitanū fecit patriarcham, quæ res Romanos Episcopos ad furorem & rabiem extremam adegit: quanquam credo sanctos patres bono consilio id fecisse. Prima pars fuit de negocio principali, quod unica caussa fuit, propter quam hæc Synodus conuocata est. Ac inde potest intelligi mens & sententia Concilij: uidelicet quòd non plus fecerit, aut facere debuerit, quàm ut ueritatem articuli de diuinitate Spiritus sancti conseruaret immotam. Et finita hac disputatione, iterum*

rum dimissa est Synodus: utpote propter quam initiò conuenerat. Altera pars, de pseudoepiscopis eijciendis ex Ecclesia, nõ est articulus fidei: sed est externum & manifestum opus, quod etiam ratio præstare debet & potest: nec opus est Spiritum sanctum peculiari modo ibi (ut in articulis fidei) adhiberi in consilium, aut propterea conuocare synodum. Consentaneum est igitur, illa alio quodam die, extra ueram Concilij diem, agitata esse. Non enim condunt de nouo Ecclesias, aut Episcopales superattendentias, Antiochiæ aut Hierosolymis: sed uolunt eas manere in statu ueteri, in quo fuerunt constitutæ initiò: tantum alias personas surrogant in priorum locum. Nam ministeria oportet perpetuò, inde usq; ab initio, manere in Ecclesia: sed alias atq; alias personas continua successione oportet præfici Ecclesijs, ut Mathias succedit Iudæ, & uiuentes episcopos oportet succedere mortuis prioribus. Quæ quidem nõ est propria aut principalis cura Conciliorũ: sed possunt, imò oportet illa fieri ante Conciliũ, sub concilio, et post concilium, prout necessitas Ecclesiæ illud exigit.

Non possunt singulis diebus conuocari nouæ synodi: sed homines idoneos quotidie haberi necesse est, qui præficiantur Ecclesijs, in quibus uacant ministeria.

Tertium prorsus est aliud, quòd patriarcham ordinant consilijs humanis. Qui uerò euentus sequuti sint, suprà commemorauimus: quàm horribilia scilicet certamina & cõtentiões mouerint hi duo Episcopi, de primatu: ut facilè iudicari possit, Spiritum sanctum non fuisse authorem illius instituti. Non enim est articulus fidei, sed est externum & crassum opus rationis, uel carnis & sanguinis. Quid hoc ad Spiritum sanctum, quòd Episcopus (loquimur de externo ritu) priori uel posteriori loco incedat? Alia habet quæ agat, longè potiora, quàm sunt hi pueriles & inepti ludi. Nec illud tantũ inde discimus, quòd Concilia nullam habent autoritatem instituẽdi noua bona opera, multo minus condendi nouos articulos fidei: sed etiã præmonemur ibi, quòd concilia prorsus nihil noui debeant comminisci uel tradere: ut quæ scire debent, non eo fine illa esse conuocata, sed fidem pristinam defendere, contra illos qui nouos errores spargunt. Nisi quòd nouos ministros (qui non possunt uocari articuli fidei, aut bona opera, quia sunt homines mortales, incerti de sua uita) in priora sacerdotia collocare possunt: quod etiã extra concilia in Ecclesijs sæpius, immò quotidie fieri oportet.

Fatentur & ipsi patres huius Concilij, quòd nihil noui sanxerint, cum scribunt Romano episcopo.

ſcopo Damaſo *(ut dictum eſt) quid egerint in* Concilio,*in quo ſcripto inter alia reperiuntur et hæc uerba:* Scimus hanc *eſſe ueterem & ueram fidem quæ ad normã baptiſmi congruit, & iubet nos credere in nomen patris, filij &* Spiritus *ſancti,&c.* Imò *tertium membrum, de electione patriarchæ* Conſtantinopolitanæ*, prorſus omittũt: fortaßis ideo, quia cogitauerũt hoc non eſſe principale negocium, propter quod ipſi uenerint ad* Concilium:*nec eſſe hæreticũ, etiam ſi homo* Chriſtianus *non, ut articulũ fidei,* Epiſcopum *æſtimet pro patriarcha: ut nunc quoq; multi homines non propterea hæretici aut damnati ſunt, etiam ſi non credãt* Papam *eſſe caput* Eccleſiæ*, poſthabitis omnibus eius concilijs,* Decretalibus*, bullis et ampullis. non enim omnes hoc conſentientibus uoluntatibus fecerunt: ſed imperatorem* Theodoſium *hoc feciſſe affirmant.* Nam *cæteræ hiſtoriæ teſtantur, ſuadente & impellente* Theodoſio *id factum eſſe, qui nequaquam habuit poteſtatem condendi articulos fidei.* Cum *igitur ipſi dicere & fateri coguntur, illam formam ſymboli ueterem & ueram eſſe, in quam nos iam anteà baptizati ſumus, & quam à teneris uſq; didicimus: cur uolumus attribuere* Concilijs *ſupremam poteſtatem condendi nouos articulos fidei, & condemnandi ut hæreticos, omnes illos qui non aſſentiuntur? Certè tales*

nullo modo intelligunt Concilia, & prorsus nihil sciunt quid sit Conciliũ, quod sit eius principale officium, quæ intentio: sed tantum aspiciunt obiter nudas literas, & omnem potestatem etiam supra Deum Concilijs tribuunt. qua de re postea dicturi sumus: nunc reliqua duo Concilia etiam breuiter perstringemus.

De Concilio Ephesino.

Tertium Concilium uniuersale celebratum est sub imperatore Theodosio iuniore, cuius auus erat Theodosius eius nominis primus, de quo suprà dictum est in secũdo Concilio. Ille Imperator cõuocabat CC. Episcopos Ephesum. Et quanquã Latini scriptores libenter implicarẽt Pontificem Rom. tanquam authorem: tamen uerißimum est, non Papam, sed Imperatorem hoc concilium conuocare oportuisse. Nam patriarcha Constantinopolitanus iam erat æqualis Romano pontifici, quo ad dignitatẽ, ut Episcopi orientales iam multo minoris facerent authoritatem Romani Episcopi, quàm antea. Ideoq; impoßibile erat Episcopo Romano conuocare Synodum tam celebrem, præsertim Ephesum, procul sitam ultra mare in Asia. Alioqui si satis fuisset ipsius authoritas, haud dubiè uocasset in loca uiciniora Romæ, ut ante ipsum Damasus faciebat in synodo Constantinopolitana.

tinopolitana. Dicunt tamē, eum ibi habuisse suā legationem. Sit ita sanè, sed tamen non tenuerunt primum locum in sessionibus. Fuerat autem causa coacti huius Concilij eiusmodi. Excesserāt iam è uiuis sancti patres, et illi optimi episcopi, S. Ambrosius, S. Martinus, S. Hieronymus, S. Augustinus (qui illo ipso anno quo ea Synodus coacta est, mortuus est) S. Hilarius, S. Eusebius, & similes: eorumq; loco prorsus dißimiles patres suborti fuerant. ita ut imperator Theodosius amplius eligi Episcopum Constantinopoli ex sacerdotibus uel clericis ciuitatis Constantinopolitanæ nollet: hāc ob causam, quòd plerunque essent superbi, ambitiosi, morosi, qui mouere certamina & tumultus in Ecclesijs plerunq; solerent. Talis enim fuerat etiam S. Ioannes Chrysostomus, ut Tripart. historia narrat. Itaq; Imperator aduenam (ita ibi nominatur) accersiuit ex Antiochia, nomine Nestorium, qui macerabat se exercitijs castitatis, & ieiunijs. Valebat itē uoce, & erat ualde eloquens, & infensißimus inimicus hæreticorum omnium. illum oportebat esse patriarcham & episcopum Constantinopoli. Sed non leuiter impegit ibi Imperator, qui nullum potuisset habere acerbiorem inimicum Ecclesiæ: ac planè ei accidit quod uulgò dicitur,

Incidit in Scyllam, qui uult uitare Charybdin.

Hic cœpit defendere suum sacerdotem Anastasium, qui dixerat pro cócione, quòd sancta uirgo Maria non esset uocanda mater Dei: quia cum esset homo nata, non posset Deum párere. Hic error perturbabat omnes Christianos: nec aliter intelligebant, quàm quod uellet, Christum natum ex uirgine Maria non esse Deum, sed purum hominem, ut nos omnes sumus homines. Hinc exorti sunt postea tanti tumultus & cõfusiones, ut cogeretur Imperator congregare Synodum, quæ ueritatem causæ patefaceret.

Conuenerunt igitur summi Episcopi (quanquam serò) Ephesi, Nestorius cum multis alijs, Cyrillus Alexandrinus, Iuuenalis Hierosolymitanus. Et cum Ioannes Antiochenus aliquanto diutius domi fuisset commoratus, cœperunt, Cyrillus inimicus Nestorij, & Iuuenalis, damnare Nestorium: Nestorius uicißim ipsos cõdemnabat. Postea uerò quàm aduenisset Ioannes Antiochenus, et uidisset quòd utrinq; essent excitata ingentia dissidia, indignatus est Cyrillo, quòd feruens recenti odio condemnasset Nestorium. Et hi duo postea inter se quoq; cœperunt dissentire, et condemnare alter alterum, donec tandem ex Episcopali sede utriq; detruderentur. Cum iam uideret Nestorius tantas turbas ortas ex corruptela multiplici, gemens prorupit in hæc uerba: Tollamus é me

dio

dio omnes ambiguitates, quæ primùm præbuerũnt occasiões istis certaminibus: et fateamur palàm, Mariam rectè uocari matrem Dei. Sed nihil profecit Nestorius, ne tunc quidem, cum reuocaret suum errorem: sed uoce publica cõdemnatus, ex orbe Imperij uniuerso eiectus & explosus est. Quanquam illi duo episcopi, Antiochenus et Alexandrinus, etiam post Concilium, posteaquam rediissent in suas ecclesias, se ipsi mutuis conuicijs lacerabãt, & omnibus diris deuouebãt: etsi postea res ad placidum exitũ deducta est. Quanquam tamen dolendum hoc, & effusis lachrymis deplorandum in Ecclesia est, tam præstãtes uiros adeò indulsisse suis affectibus, ut instar mulierum aut puerorum ineptissimè inter se rixarẽtur. Omnino fuisset eis opus aliquo Constantino, qui ipsorum iurgia & contentiosa scripta etiam cõiecisset in ignem. Sed procul aberãt eiusmodi Heroes, qui hæc facere potuissent. Iam si perseuerauit in hoc errore Nestorius, quòd credidit Christum non esse Deum, sed purum hominem: meritò damnatus est ipsius error, ut qui fuerit multo perniciosior & uenenatior, quàm Arianus aut Macedonicus antea fuerant.

Hoc igitur est tertiũ generale Concilium: neque quicquam præterea ibi est disputatum. Et tamen uidere est, non ibi conditum esse nouum ali-

quem articulum, sed tantum puriora symbola uetera ab erroribus uindicata & defensa esse, contra nouas corruptelas Nestorij, si tamen sic docuit. Nec probari inde potest, Concilijs concedendam esse potestatem condendi nouos articulos. Nam CHRISTVM uerè & natura Deum esse, in prioribus synodis Nicena & Constantinopolitana demonstratum est, tanquam unus de antiquißimis articulis, qui & ab initio in Ecclesia creditus, & sacræ scripturæ testimonijs immotis & non fallentibus confirmatus est, contra nouam hæresin Arij. Alia decreta quæ ibi sunt composita, tantum spectant ad res corporales & externas, nec sunt articuli fidei: igitur ea præterimus.

Vt autem cōtrouersiam huius Synodi penitius introspiciamus, uberius aliquanto de ea differemus. Nam & ipse olim non potui intelligere errorem Nestorij, qualis esset, nisi quòd obiter cogitaui, Nestorium negasse diuinitatem Christi, & statuisse Christum nihil aliud esse quàm purum hominem: id quod pontificum Decretales & omnes commentatores Pontificij asserunt. Postea uerò quàm cōsiderare cœpi rem attentius, animaduerti ex proprijs ipsorum uerbis, aliter esse iudicandum. Dicunt enim de Nestorio, quòd ex Christo fecerit duas personas, uidelicet Deum & hominem. Aliqui fingunt (ut qui & ipsi non potue-

rint assequi subtilitatē erroris Nestorij) cum ita docuisse, quòd Christus ex Maria natus initiò tantum fuerit purus homo, postea uerò tam sanctè, piè, ac purè uixerit, ut ipsa diuinitas ipsius personæ se unire uoluerit, atq; hoc modo ex Christo sit factus Deus, sic ut associatio diuinitatis ad hominem Christum habeat se tanquam precium, ad meritum. Atq; adeò sunt intricata & confusa quæ scribunt, ut existimem ne quidem ipsos scire in hunc usq; diem, quid & propter quas caussas damnauerint Nestorium. Hoc inde conijcito. Fatentur credidisse Nestorium, quòd Christus sit Deus & homo, præterquam quòd duas personas ex Christo fecerit. Ex his certum est, quòd Nestorius non crediderit Christum esse purum hominem (in qua sentētia nos omnes fuimus) cum credat ipsum etiā esse Deum, id quod testantur ipsorum uerba. Et tantum ibi est scrupus, quòd Nestorius Christum uerum & natura Deum & hominem, geminam personam esse statuit, uidelicet unam diuinam, et unam humanam. Hæc una pars est erroris. Iam qui Christum diuellit, & facit duas personas, facit duos Christos: nempe diuinū Christum, qui sit tantum Deus, non homo: & humanum Christum, qui sit purus homo, non Deus; alioqui non possent esse duæ personæ. Iam illud constat, Nestorium non duos, sed unum Christum

credidiſſe: id quod etiam ipſorum uerba teſtãtur, quòd Neſtorius Chriſtum, nempe illum unicum, illum ipſum, illum uerum, & nullum alium Chriſtum, duas habere perſonas crediderit. Ergo falſum & impium eſt hoc quoq; quod credidit Neſtorius, Chriſtum habere duas perſonas: quia non poſſunt hæc duo ſimul ſtare, quòd Chriſtus ſit in duabus perſonis, & tamen ille ipſe unicus Chriſtus maneat. Sed ut dictum eſt, ſi ſunt duæ perſonæ, ſunt duo Chriſti, & non unus Chriſtus. Neſtorius autem credidit, eſſe tantum unum Chriſtum: ideo non potuit credere, Chriſtum eſſe duas perſonas. Alioqui oporteret ipſum contra iudicium & communem ſenſum ſimul uno & eodem tempore credere duas contradictorias, eſt & nõ, & in eodem articulo. Nec ullibi reperitur in hiſtorijs, quod Neſtorius unum Chriſtum crediderit habere duas perſonas, niſi quod pontifices & ipſorum hiſtoriæ ita argutantur. Quanquam ipſi hoc fatentur, cum fingunt docuiſſe Neſtorium, quòd Chriſtus poſt natiuitatem ex Maria ſit factus Deus, aut cum Deo copulatus in una perſona: hoc ipſis uel conſcientia uel error extorſit, cum oportuerit ipſos neceſſariò concedere, quòd Neſtorius non plures quàm unum Chriſtum habuerit.

Iam eſt quæſtio: Quid igitur reprehẽditur in Neſtorio, & qua de cauſa hoc tertium generale

Concilium

Concilium est celebratum contra ipsum? Cum Nestorius nihil aliud doceat, quàm quòd Christus sit uerus Deus & homo, & unus Christus, nō geminus? id est, unica persona in duabus naturis, ut sonat confeßio nostræ fidei, quæ semper fuit in uera Ecclesia Dei, inde usque à primis temporibus. Apparet enim Papam & scriptores Pontificios hæc uerba contra Nestorium calumniose & ueteratoriè finxisse, quòd Christum pro puro homine, non pro Deo, & quòd unum Christum pro duabus personis uel gemino Christo habuerit: hoc inquam apparet non tantum ex historijs, sed etiam ex pontificum & scholasticorum Theologastrorum proprijs uerbis et scriptis. Quid igitur errauit Nestorius? ut tandem ad caussas huius Concilij perueniamus.

Poteris in 12. libro Tripart. cap. 4. paginam unam aut alteram legere (quod potest fieri in quadrante unius horæ) ibi inueniuntur omnia, quæ certè possunt haberi de Nestorio, & de hoc Concilio. Et considera tu, an attingam scopum: caussa enim erroris illa fuit. Nestorius fuit homo inflatus, tumens pharisaico fastu, et indoctus. Et cum subitò esset euectus ad supremū fastigium Ecclesiæ, adeò ut haberetur pro summo pōtifice, ut patriarcha, somniabat se unum antecellere doctrina & eruditione omnes homines in toto gene-

uere humano; nec sibi opus esse lectione librorum qui erant scripti à maioribus aut alijs, nec in explicatione magnarum rerum retinendos esse modos loquendi antiquitùs receptos in Ecclesia *puriore. Sed quia et uoce ualebat, et ex temporali facundia uolebat esse* αὐτοδίδακτος *doctor uel magister: & formas loquendi, quibus ipse uteretur, tantum recipiendas esse in* Ecclesia, *non alias.* Et *tali fastu armatus, adoriebatur illum articulum:* Maria *est mater* Dei, *aut genitrix* Dei. *Ibi uicissim* Episcopos *in aduersa parte inuenit perinde inflatos, quibus uehementer displicebat* Nestorij *fastus, in primis* Cyrillũ Alexandrinũ: *quia tunc nullus aderat* Augustinus, *uel* Ambrosius. *Iàm uerò in* Ecclesia Antiochena *docuerat* Nestorius, *quòd* Christus *esset natura genitus à patre, natus ab æterno (id quod concilium* Nicenum *receperat) & postea ex uirgine* Maria *uerus homo natus.* De *his duobus articulis nihil dubitabat* Nestorius, *& iam longo tempore de illis cõcionatus fuerat; imò persequebatur* Arianos *in* Niceno *cõcilio dãnatos, planè internecino odio: quòd caussam postea præbuit innumeris cædibus, & effusioni sanguinis innocentis.* Tam *firmiter hoc tenebat,* Christum *esse uerum* Deum *& hominem.*

Præterea *hoc etiam concedebat, quòd* Christus *filius* Dei *esset quidem natus ex uirgine* Maria

secundum

ſecundum humanitatem, non ſecundum diuinitatem: quod nos & omnes pij etiam dicimus. Sed ibi error erat: nolebat cōcedere, ut Maria uocaretur mater Dei, cum Chriſtus non eſſet ex ea natus ſecundum diuinitatem: aut ut dicamus expreßius, cum Chriſtus non haberet ex matre diuinitatem ut humanitatem ex ea habebat. Hæc eſt ſumma et caput huius totius controuerſiæ, quòd Deus non poßit naſci ex homine, aut ſuam diuinā naturam inde aſſumere: & quòd homo non poßit gignere Deum, aut diuinam naturam in ipſum transfundere. Nam indoctus, rudis & audaculus ille, tantum ſe fulciebat his literis, DEVS NATVS EX MARIA: *& exponebat, natus, iuxta Grammaticam aut philoſophicam interpretationem, quaſi ſignificaret naſci, naturam diuinam ex genitrice acquirere: ut etiā Tripartita affirmat, quòd Neſtorius iudicauerit hæc uerba eſſe ſuſpecta, ut certè nobis & omnibus Chriſtianis (cum in hanc ſententiā detorquentur) meritò ſuſpecta eſſe debēt.*

Hinc manifeſtum eſt, quòd Neſtorius, ut homo imprudens, & uanißima perſuaſione adductus, loquatur quidem bono zelo de Chriſto: ſed ex mera inſcitia non intelligat, quid & quomodo loquatur, ut qui de re tanta loqui non potuit, & tamen ſe artificem iactare auſus eſt.

Scimus & nos, quòd Chriſtus ſuam diuinitatē

non habeat ex Maria: sed inde non sequitur, quòd sit impietas, dicere, Christum ex Maria nasci, & Deum esse Mariæ filium, & Mariam esse matrem Dei. Huius rei proponam crassum exemplum, declarandi caussa. Cum mulier infantulum partu edit, potest aliquis ignauus Nestorius (ita enim nominat eum Tripartita) adeò esse superbus, indoctus & sophisticus, ut dicat, Hæc mulier peperit, sed non est uera mater editi infantuli. Ratio, quia anima infantuli non est ex temperamento aut sanguine matris, sed aliũde, uidelicet à Deo infusa est. Ita infans iste est quidem natus ex muliere, quo ad corpus: sed quia anima non transfunditur à matre in corpus infantis, ideo ipsa non est mater infantis, quia non est mater animæ uiuentis in infante.

Talis aliquis ineptus aut frigidus argutator, non negat has duas naturas, corpus & animam, esse unam personam: nec dicit, quòd ibi sint duæ personæ, aut duo infantuli: sed fatetur, quòd duæ naturæ, uidelicet corpus et anima, sint una persona, uel unus infans: et quòd mater non duos infantes, sed unum infantulũ in lucem ediderit. Sed non animaduertit, quid neget, aut quid concedat. Planè talis fuit Nestorius. Concedit, quòd Christus sit Deus & homo in una persona: sed quia diuinitas non est immediatè ex matre Maria, non debet

uocari

uocari mater Dei. Hoc meritò damnatum est in Concilio, et debet damnari in æternum. Et quanquam Nestorius in una parte controuersiæ rectè sentit, quòd Christus sit Deus & homo: tamen altera pars, uel hæc uerba, seu hæc oratio nullo modo toleranda est, quòd Deus non sit ex Maria natus, & à Iudæis crucifixus. quemadmodum & ille calumniator nullo modo tolerandus est (qui ualde bene quidem dicit in illa parte, quòd mater nō poteſt producere aut creare animam infantis) addit autem & illud, Hic infans non est matris germanus filius, & hæc mater non est huius infantis germana mater.

Summa, tumidus ille & indoctus Episcopus, Græcum & perniciosum certamen in Ecclesiam sui temporis inuexit, sicut Cicero de Græcis perhibet: Iamdiu torquet cōtrouersia uerbi homines Græculos, contentionis cupidiores quàm ueritatis. Quicunq; enim concedit, quòd mater infantem edit, habentem animā & corpus: debet etiam concedere, quòd mater ediderit totum infantem, & sit germana mater infantis. Alioqui sequeretur inde, quòd nulla mulier parturiens, ullius infantuli esset mater: & quartum præceptū necessariò delendum esset ex Decalogo, Honora patrē & matrem. Ita hic quoque dicendum est, quòd Maria sit uera & germana mater huius dulcissi-

mi

mi et dilectißimi infantuli, qui uocatur IESVS CHRISTVS: & sit uera Dei mater, Dei genitrix: et quicquid præterea de puerperis aut matribusfamiliâs dici potest, ut lauare, lactare, cibum in os ingerere, potũ instillare: quòd Maria Deum lactat, Deum in cunis mouet, Deo pulticulas et iuscula coquit, &c. quia Deus et homo est, una persona, unus Christus, unus filius, unus IESVS, non duæ personæ, non duo Christi, nõ duo filij, non duo Iesus. Sicut tuus filius non est duo filij, aut duo Ioannes, aut duo sutores: etiamsi habeat duas naturas, corpus & animam, corpus de tuis lumbis, animam à Deo immediatè.

Non igitur ille est Nestorij error, quòd Christum credit tantum esse purum hominem, nec in duas personas eum dirimit: sed duas naturas, Deũ & hominem, in una persona uniri fatetur: sed cõmunicationem idiomatũ non uult concedere. Hoc non possum uno uocabulo reddere in uernacula.

Idioma uocatur, quod uni naturæ inhæret, aut unius naturæ propriũ est: ut mori, pati, eiulare, loqui, ridere, edere, bibere, dormire, dolere, lætari, nasci, matrem habere, lactantem esse, incedere, stare, operas facere, sedere, iacere, & quicquid est similium gestuum, qui omnes uocantur Idiomata naturæ humanæ, id est, propria, quæ inhærent homini sua natura. nam Synonyma sunt, ἰδίωμα & proprium:

proprium: nisi quòd hoc latinè, illud græcè sonat. Vocetur sanè in Germanico, ein Eigenschaft. E contrà idioma Deitatis, id est, diuinæ naturæ proprietas est, quòd est immortalis, omnipotens, infinita, non nata, non comedit, non bibit, non dormit, non stat, non incedit, non dolet, non lachrymatur: & quid opus est colligere multa exempla? in infinitum distant Deus & homo. Ideo non possunt coniungi idiomata duarum naturarum in una persona. Hæc Nestorij opinio.

Iam si pro concione sic dicerem: Iesus faber lignarius in Nazareth (quia sic nominant eum Euangelistæ, Filium fabri) incedit ibi per plateam, & fert suæ matri urceolum aquæ, & panem emptum paruo nummo, ut cum sua matre comedat & bibat. Et ille Iesus faber lignarius est uerus Deus, in una persona: hoc concedit mihi Nestorius, & dicit uerum esse. Sed cum dico, Ibi incedit Deus per plateam, fert aquam & panem, ut habeat unde uiuat cum sua matre: hoc nòn concedit, sed dicit, aquam ferre, panes emere, matrem habere, cum qua bibas & comedas, illa sunt ἰδιώματα humanæ naturæ, nō diuinæ. Ita cum dico, Iesus faber lignarius est à Iudæis crucifixus, & ille ipse Iesus est uerus Deus: hoc concedit mihi Nestorius uerum esse. Si autem dico, Deus est crucifixus à Iudæis: respondet ipse, non: quia crucifigi, pati &

mori, non est diuinæ, sed humanæ naturæ idioma, uel proprietas.

Cum hæc audiunt Christiani non rectè institu ti, non possunt aliter cogitare, quàm quòd credat Nestorius Christum esse purum hominem, & diuellat personas: quod tamen ipse non facit, nisi quòd uerba perinde sonãt quasi uelit hoc facere. Ibi uidet perspicuè prudens lector, quòd prorsus insaniat, & suas ipsius disputationes Nestorius non intelligat. Cum enim hoc fateatur, quòd Deus & homo unitus sit & copulatus in una persona: certè nullo modo potest prohibere, quo minus idomata utriusq; naturæ uniri & misceri poßint. Quid aliàs esset, Deus & homo in una persona unitus? Ac ut breuiter dicamus, omnia ipsius deliramenta refutari possunt ex illa puerili regula, quæ in Scholis traditur: Qui concedit antecedens bonæ consequentiæ, non potest negare consequens. Germanicè dicimus: Vno concesso, oportet concedi & alterum: Altero non concesso, ne prius quidem concedi potest. Qui hoc concedit, quòd Margareta sit tua coniunx: non potest negare, quòd ipsius liberi (saltem si est honesta & casta) sint tui liberi. Cum hæc docētur in scholis, nemini sano uenit in mentem, esse ullos homines tam stolidos & ineptos, ut illis principijs ausint contradicere. Verùm interroga gubernatores,

res, aut iureconsultos, an non sæpè in caußis politicis uel forensibus actorũ partes habuerint, quærem quidem aliquam fassæ sint, & approbarint: & tamen concedere noluerint id quod bona consequentia inde extruitur.

Obijciat autẽ hic aliquis, Nestorium insidiose cõfeßum esse, quòd Christus Deus sit, et una persona. Respondeo: Quòd non. Tam ingeniosus enim, aut industrius non fuit, sed seriò ita iudicauit. Quia semel in concione (inquit Tripartita) clamauit, noli triumphare mi Iudæe, non potuisti Deum affigere cruci. Vbi dicere uult: Christus est quidem Deus, sed Deus non est affixus cruci. Et in concilio corã episcopo Cyrillo dicit palàm, quòd multi fateantur Christum esse Deum: sed hoc nunquam in omni uita dicturus sum, quòd Deus sit bimestris uel trimestris. Hoc tantum est dicere, Iesus est Deus, ut multi nostrûm fatentur: sed quòd Deus bis uel ter sit nascendus, hoc nunquam docebo. Et hic scrupus angit eũ (ut Tripartita narrat) quòd Deus & mors sint extremè contraria: quia uidetur ipsi nõ modò absurdum, sed & blasphemum, dicere quòd Deus moriatur.

Et fuit hæc ipsius sententia, Christum secundũ diuinitatem esse immortalẽ: sed non habuit tantum uel ingenij uel industriæ, ut posset tam aptis uerbis hoc efferre. Ad hæc acceßit etiam aliorũ

Episcoporum insolentia, qui non cogitauerunt, quomodo sananda essent talia uulnera: sed multo magis irritandis aut refricandis causam dederũt.

Et quanquam (si rectè loqui uolumus) ex Nestorij sententia sequi necesse est, quòd Christus sit purus homo, & duæ personæ: tamen reuera non sic sensit. Nam ille stupidus & indoctus sophista non uidebat, quòd impoßibilia & planè absurda proponeret: id est, quòd simul Christum seriò pro Deo & homine in una persona reputaret, & tamen idiomata naturarũ nolebat isti personæ Christi tribui. Antecedens iudicat esse uerum: & tamẽ illud quod ex antecedente sequitur, non uult esse uerum. Qua in re suam inscitiam prodit, quòd uidelicet ipse non intelligit ea quæ negat.

Oportet enim nos Christianos idiomata duarum naturarum in Christo simul et omnia tribuere illi personæ: ut, Christus est Deus & homo in una persona. Quicquid igitur de ipso dicitur ut homine, etiam ut de Deo dici necesse est. Nempe, Christus est mortuus, & Christus est Deus, ergo Deus est mortuus: non separatus Deus, sed ille Deus, qui se uniuit cum humanitate: quia si Deum seorsim cõsideres, utrunq; est falsum: nempe, quòd Christus sit Deus, & Deus sit mortuus, utrunq; est falsum. Quia ibi Deus non est homo. Sin uidetur Nestorio mirabile, quòd Deus moritur:

tur: cogitet æquè mirandū esse, quòd Deus sit homo. Nam *illa ipsa re* Deus *æternus & immortalis efficitur uictima, quæ moritur, patitur, & omnia humana idiomata habet.* Quid *aliàs ille esset homo, cum quo unitur* Deus *personaliter, si non haberet uera seu propria idiomata? equidem sequeretur, eum esse spectrum, ut prius docuerant* Ma*nichæi.* Econtrà *quicquid de* Deo *dicitur, oportet etiā tribui homini. nempe* Deus *condidit mundum, et est omnipotens:* Homo *Christus est* Deus; *ergo homo Christus condidit mundum, & est omnipotens.* Ratio *est, quia fit una persona ex* Deo *& homine.* Habet *ergo hæc persona utriusq; naturæ idiomata.*

Bone Deus, *huic diuino articulo, qui uiuificæ plenus est & æternæ consolationis, citra controuersiam, sine ullis certaminibus, & sine ulla hæsitatione assentiendum erat. lætari debebat mens, erecta uera fide, hymnis & psalmis gratias agere debebat æterno* Deo, *pro hac inenarrabili et infinita bonitate, quòd suum dilectū filium uoluit nobis similem hominem & fratrem nostrum fieri.* Hæc *disturbat* Diabolus *per insolentes, ambitiosos & desperatos nebulones, ut hoc sincerum & prædulce gaudium multipliciter contaminetur, quod dolendum est.* Deus *sit iudex, in cuius sinum quotidie effundimus nostras cruentas lachry*

mas & querelas. Quia uerissimum est, & omnes piæ mentes debent etiam hoc scire: Nisi Deus ipse sedeat ad trutinam, et dispenset pondera, nos cum nostra lance subsidimus ad terram. id est, si non est dicẽdum, Deus pro nobis est mortuus, sed tantum homo: tunc nobis est pereundũ. Sed si mors Dei, et Deus mortuus, pro nobis iacet in lance libræ, tũc ipse præ pondere subsidit ad terram, nos ferimur sursum, ut lanx leuis & uacua. Verùm ipse etiam potest sursum ferri, aut ex trutina desilire. Non posset autem collocari in lancem, nisi prius fieret homo nostri similis, ut posset dici Deus mortuus, Dei laceratio, sanguis Dei, mors Dei, crux Christi, etc. Quia Deus secundum se consideratus, non potest mori. Sed quia nunc sunt uniti unione personali Deus et homo, rectè dicitur, mors Dei: cum iste homo moritur, cum quo Deus una res est, uel una & eadem persona.

Nimis autem parum hoc Concilium damnauit in hoc Nestorio: quia agit tantum de hoc uno idiomate, quòd Deus sit natus ex Maria. Vnde historiæ scribunt, quod in hoc Concilio sit decretũ, Mariam debere uocari θεοτόκον, id est, genitricem Dei: cum tamẽ Nestorius omnia idiomata humanæ naturæ, de Deo in Christo neget: ut mori, crucifigi, pati, & omnia quæ non congruunt diuinitati. Non igitur hoc tantum debebant sta-

tuere

tuere, quòd Maria sit θεοτόκος: uerùm etiam, q. Pilatus & Iudæi fuerint crucifixores seu interfectores Dei, & similia. Quòd uerò postea per omnia idiomata est condemnatus his uerbis, Nestorius negat quòd Christus sit Deus, & una persona: est quidem in effectu, uel ex consequenti uerum. Sed oratio nimis est peregrina et horrida, cum Nestorio fuerit persuasissimum, sibi factam esse atrocem iniuriam. Nam ipse nihil tale unquam docuit, sed semper contrà dixit, constanter asseuerãs Christum esse uerè et natura Deum, & non duas personas: & quidem hanc ipsam ob causam Arianos atrociter est persequutus.

Quia homines tardi uel stupidi non possunt texere syllogismos, aut consequentias intelligere: nempe quòd ille substantiam uel naturam neget, qui idiomata seu proprietates negat. Sed talis debebat forma scribi ad refutandũ Nestoriũ: quanquã fatetur Nestorius, quòd Christus uerus Deus & homo sit una persona: tamẽ quia idiomata humanæ naturæ, illi diuinæ personæ Christi non tribuit, falsum est quod docet, & perinde est ac si ne garet ipsam naturam. Et non tantum debuissent illud alterum idioma ex matre Maria sumptum declarare. Ita enim multum potuisset accedere perspicuitatis toti controuersiæ huius Concilij, quam existimo hactenus à paucis fuisse intellectam.

ctam. Certè ex Platinæ & similium confusis scriptis, res tantæ intelligi nullo modo possunt.

Nam & mihi paulò antè negocium fuit cum Nestorianis, qui pertinacißimè contra me disputabant, quòd diuinitas Christi non posset pati. Imò Zuuinglius scribebat etiam contra me, super hoc dicto, Verbum caro factum est: et simpliciter nolebat legi, uerbum factum, sed, uerbum caro facta est, Ratio, quia Deus non potest mutari in corpus.

Verùm ego tunc temporis non sciebam hanc esse Nestorij opinionem, ut qui Concilium etiam nondum intelligebã. Sed ex sacra Scriptura, Augustino, et Magistro sententiarum errorem illum deprehendi: & quis scit, quàm sint adhuc multi Nestoriani in Papatu, qui tamen hoc Concilium audacißimè allegant: & quid allegent, ipsi nõ intelligunt. Quia ratio uult res tantas scrutari ex sese, et nullo modo hoc concedere, quòd Deus moriatur, aut (ut alij homines) sit substantia corporea uel uisibilis. Etsi utrunq; credit, diuturna consuetudine adducta, Christum esse Deum, ut credebat Nestorius. Ita igitur nec hoc Concilum ullum nouum fidei articulum condidit, ut suprà dictum est: sed symbola uetera defendit cõtra recens commentum Nestorij, ita ut non poßint talia allegari pro exemplis, cum disputatur, concedendam esse

autoritatem

autoritatem Concilijs, condendi nouos articulos fidei, aut mutandi ueteres. Nam doctrina de hoc articulo, inde usq; à principio sonuit in Ecclesia, nec in Concilijs recens est excogitata, sed per Euangelion & testimonia congruentia Scripturæ conseruata: quia manifestum est ex 1. cap. Lucæ, quòd angelus Gabriel Mariæ nunciat, ex ipsa nascendum esse filium altißimi. Et Elisabeth inquit: Vnde mihi hoc, quòd mater DOMINI uenit ad me? Et tota multitudo exercitus angelorum hærens in nubibus, læta & dulcißima uoce canit hoc pulcherrimum carmen: Vobis natus est saluator, qui est Christus Dominus. Item S. Paulus Gal. 3. Deus misit filium suum, natum ex muliere. Quæ testimonia satis (ut opinor) & firmißimè probant, Mariam esse matrem Dei. Sic dicit S. Paulus 1. Cor. 3. Principes huius mundi DOMINVM gloriæ crucifixerunt. Act. 20. grauißimè dicitur, Ecclesiam esse partam sanguine Dei: cum Deus, humano more loquendo, sit sine sanguine. Phil. 2. CHRISTVS cum esset æqualis Deo, factus est seruus, & inuentus homini similis per omnia. Et in Catechismo, Symbolū Apostolorū recitat hæc uerba: Credo in IESVM CHRISTVM, filium eius, unicum Dominum nostrū, concœptum ac natū ex Maria, passum, crucifixum, mortuum, sepultum, &c. Certè ibi clarißimis uerbis nu-

merantur idiomata naturæ humanæ, & tamen illi unico filio et Domino tribuuntur, in quem nos credimus, qui est consubstantialis æterno patri, et natura Deus. Atq; hæc de illo Concilio sufficiant.

De Concilio Chalcedonensi.

Quartum generale concilium celebratum est Chalcedoni, in Ponto uel Asia (annos fortasse uiginti duos aut tres post tertium illud præcedens Concilium, quod est celebratum Ephesi) per Imperatorem Martianũ, qui succeßit iuniori Theodosio in imperio Constantinopoli, anno Christi 455. Atq; ita hæc quatuor generalia Concilia celebrata sunt intra annos penè 130. Nam Nicenum fuit anno 327. quanquam ante illa tempora, & circiter, sicut postea, multæ aliæ Synodi non ab Imperatoribus, sed tantũ ab Episcopis paßim in multis locis celebratæ sunt. Sed hæc quatuor non potuerunt congregari sine autoritate & consensu Imperatorum. Adeò indulgebant sancti patres mutuis odijs & dissensionibus, ut alter non facilè uellet alteri cedere: quod (proh dolor) historiæ testantur. Et hæc exempla plena sunt necessariæ consolationis. Monemur enim, nobis non esse desperandum, cum Spiritus sanctus uerißime fuerit in aliquibus talib. patribus, & ipsi sancti fuerint,

& eos uocari sanctos oportuerit: nos quoq;, etsi sumus infirmi, sanctos, & in omni æternitate saluandos esse.

Quæ uerò fuerit occasio huius Concilij, mallem ipse ex alijs cognoscere. Nam huc nulla spectat historia, digna fide. Ecclesiastica desinit cum primo concilio Niceno. Tripartita et Theodoretus cum tertio Ephesino. Et oportebit nos posthac uel inuitos fidem habere Papisticæ historiæ, quod quidem est ualde periculosum, propter multas magnas & graues causas. Nam omnia ipsi ad hæc usq; tempora ueteratoriè ad sua deliramenta detorserunt, & sua deliramenta atrocißimis mendacijs stabilierunt, & porrò stabiliunt, ut nemo poßit conscientiam suam talibus testimonijs communire, uel confirmare. Iam diuina, qua ratione ego ero saluandus, qui nec ipsum Concilium assequor, nec causam Concilij satis perspicio. Et quo modo saluati sunt illi optimi sancti & Christiani, qui per tot secula nesciuerunt huius Concilij decreta? Semper enim in hac mortali uita oportet esse aliquos sanctos. Et illis decedẽtibus ex hac uita, oportet succedere alios sanctos. Hæc continua succeßio durauit inde usq; à principio generis humani, & deinceps durabit usq; ad finem mundi: alioqui nulla esset ueritas huius articuli, Credo Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem.

Et

Et frustra dixisset filius Dei: Ego sum uobiscum usq; ad consummationẽ seculi. Viuere aliquos sanctos inquã in hac mortali uita oportet (ubicunq; locorum uiuunt) alioqui finis esset regni Christi, & nemo esset qui semel recitaret orationem Dominicam, aut confeßionem nostræ fidei: nemo fieret particeps sacramentorũ Baptismi, cœnæ Domini, absolutionis, &c.

Platina & plures alij dicunt, quòd hæc sit ratio, quòd Constantinopoli abbas, aut (ut ipsi uocant) archimãdrita Eutyches inuenit aliud quod doceret contra Nestorium, uidelicet quòd Christus sit una persona tantũ in diuina natura. Contra hunc errrorem decreuit antiquitas in Concilio, quòd Christus sit una persona, & duæ naturæ. Hoc uerum est, & congruit cum fide Christiana. Sed Pontificiæ historiæ testantur ipsum docuisse, quòd diuinitas, posteaquam assumpsit humanitatem, & facta est Christus in una persona, postea non plus quàm diuinitas remanserit: et statuendum esse, quòd Christus tantum sit Deus, non homo. Si hæc est Eutychis sententia uel opinio, ausim dicere, eum tam esse indoctum, quàm fuit Nestorius, qui in Christo duas esse personas statuisse, & tamen unam personam docuisse dicitur. Eodem modo hic simul duas naturas, & tamẽ unam naturam in Christo conceßit. Sic enim ebuccinat

Leo papa in quadam Epistola, quòd Eutyches et Nestorius diuersas hæreses sint professi. Et uerum est: qui docet quòd Christus duæ, & tamen una persona uel natura sit: & econtrà, quòd sint in Christo duæ naturæ, & tamen una natura: certè dissentiunt, imò uterq; sibi contraria dicit.

Sin sciuerunt Papistæ hanc nõ esse sententiam Nestorij & Eutychis, potius reticenda fuissent hæc uerba, & aliquanto lucidius de talibus rebus, & in terminis proprijs disserendum: id est, utendum fuisset uerbis, quibus ipsi usi sunt. Alioqui cogitant hæretici, nos uelle ipsos quocunq; iure, uel quacunq; iniuria commenticijs uocabulis circumuenire, aliò detortis ipsorum uerbis, ut suprà dixi de Nestorio.

Nam quòd Eutyches non tantũ unam in Christo naturam esse statuat, ostendunt papistarum uerba, qui dicunt Eutychen concessisse in Christo duas naturas: nempe diuinitatem & humanitatem, quæ à diuinitate est assumpta. Qui hoc concedit, dicit quòd in Christo sint plures naturæ q̃ duæ. Sed quid Eutyches uoluerit hac opinione, quòd postea in Christo tantũ diuina natura manserit, deserta humana, ibi prorsus sunt muti: & re nondum certò cognita dicunt, statuisse Eutychẽ, quòd in Christo duæ naturæ, & tamen non duæ, sed una natura sit. Ita postea historiæ fiunt incer-

tæ & obscuræ,ut nemo poßit intelligere quid Eutyches senserit, aut quid Pontificiæ historiæ sentiant. Amittimus hisce ambagibus Concilium, unà cum causis,propter quas conuocatum est. Sit sanè, ita posse hæc utcunq; cognosci ex actis Synodorum, &,ex epistolis Pontificum. Econtrà uerò historici scriptores pontificum non adeò debuissent inerudité aut inconcinnè talia scribere,aut uocabula à se conficta nobis obtrudere:nisi quòd inde potest æstimari, ipsos propemodum intellexisse hoc Concilium,ut ego intelligo.

Ego meas cõiecturas recitabo:si rem assequor, bene: si non,non propterea labefactabitur fides Christiana. Eutychis opinio (sicut & Nestorij) errat circa idiomata,quamuis alio modo. Nestorius non uult idiomata humanitatis tribuere diuinitati in Christo:etiãsi hoc firmiter retinet,quòd Christus Deus sit,et homo. Contrà Eutyches, nõ uult idiomata diuinitatis tribuere humanitati,etiamsi & ipse firmiter et mordicus retineat,Christum esse uerum Deum & hominem. Vt si dicerem in concione publica,Verbum filium Dei esse conditorem cœli et terræ, æqualem patri ab æterno:Ioan.1. Et hoc uerbũ,illum filium Dei,esse uerum hominem, Ioan.1. Hoc concedit mihi Eutyches,nihil dubitans. Iam si porrò dicam,quòd ille homo Christus,sit conditor cœli & terræ:hoc

offendit

offendit Eutychem, qui putat prorsus esse absurdum dicere, Homo creat cœlum & terram. & dicit, Non: quia hoc diuinum idioma (uidelicet cœlum creare) non conuenit homini. Sed non cogitat, quòd antea concessit, Christum uerè esse Deum & hominē, in una persona: & tamen consequentiam, uel consequens bonæ consequentiæ, non uult concedere.

Nam qui concedit, quòd Deus & homo sit una persona, illum oportet propter talem copulationem duarum naturarū in una persona, necessariò concedere, quòd hic homo Christus ex Maria natus, sit cōditor cœli et terræ. Nam ipse hoc est factus in una persona (nempe Deus) qui condidit cœlum et terram. Hanc consequentiam non intelligit Eutyches, & tamen retinet hoc mordicus: Christus Deus est & homo. Etiam hoc non considerat, quòd oprteat humanā naturam Christi negari in Christo, cum diuinæ naturæ idiomata ab humana separantur. Nam tali seiūctione diuelleretur persona, & Christus non maneret homo. Et hoc uolunt perhibere illi, qui scribunt de Eutyche, quòd non sit passus humanam naturam in Christo manere, scilicet in consequenti: cum tamen fateatur, scilicet in antecedente, quòd diuina et humana natura sit unus Christus, una persona, & duæ naturæ. Summa, ut suprà dictum est,

qui

qui has duas naturas in Christo Deum & hominem fatetur, illum etiam oportet utriusque idiomata tribuere personæ. Quia Deus & homo nihil sunt, cum idiomata ab alterutro remouentur. Vterque igitur, Nestorius & Eutyches, cum suis errorib. et opinionibus, meritò sunt damnati.

Quanquam uerum est, quòd Eutyches plures fortasse causas habuit erroris, quàm Nestorius. Nam humanæ naturæ idiomata de Christo, pleraque remanserunt in terra, posteaquam ipse est euectus ad cœlos: uidelicet Comedere, bibere, dormire, dolere, pati, mori, sepeliri, &c. Sedet enim iam ad dextram Dei, nunquam comedit, bibit, dormit, nunquam dolet, nunquam patitur aut moritur amplius in omni æternitate: sicut ne nos quidem erimus mortales, posteaquam ex hac uita in futuram uitam commigrabimus. 1. Cor. 15. Hæc sunt temporalia & caduca idiomata: sed naturalia manent, ut quòd habet corpus & animam, cutem & capillos, sanguinem & carnẽ, medullã & ossa, et omnia membra humani corporis. Quamobrem & oportet dici: Hic homo Christus, hæc caro & sanguis, condidit cœlum & terram, uicit mortẽ, deleuit peccatũ, infernũ destruxit: quæ omnia sunt diuina idiomata, et tamẽ illi personæ quæ est caro & sanguis Mariæ, rectè & piè possunt tribui: cũ nõ sint duæ, sed tantũ una persona.

Exempli gratia: Tuus filius Petrus uocatur doctus seu literatus, cum tamen tale idioma tantum animæ, non corpori cõpetat. Et aliquis Eutyches posset cauillari: Nullo modo, Petrus non est literatus, sed ipsius anima. Econtrà alius Nestorius: Ego non cecidi uirgis tuum filium, sed ipsius corpus. Hoc sonat, ac si uellet aliquis ex Petro facere duas personas, uel unam tantum naturam retinere, cum tamen hoc non dicatur. Inscitia hæc est, et barbaries deploranda, quæ arguit quòd fuerint mali dialectici. Et tamen talis inscitia nõ rarò deprehenditur in plurimis exemplis uitæ, etiam in alijs rebus, cum sæpe aliquid conceditur, & tamẽ negatur quod inde sequitur, ut dictum est: Antecedente concesso, negare consequens. Vt iam sunt multi magni principes, multi præstantes & docti uiri, qui palàm fatentur, quòd nostra doctrina de fide, quæ sine meritis iustificat ex mera gratia, sit uera: sed quòd propterea monachatus, cultus sanctorum & similia, sint abolenda & damnanda, hoc ipsos uehemẽtißimè offendit, cum tamen consequentia hoc urgeat & postulet. Nemo enim iustificari potest, nisi sola fide. Hinc sequitur, quòd per monachatum nemo poßit iustificari aut saluari. Quid igitur tantopere uitam monasticam amplificant & extollunt? Quorsum spectant tales impietates & abusus? Et ut de me dicam, &

de errore olim à me commisso meipsum commone faciam: fateor enim, me debere aliquid gratitudinis meæ inscitiæ. Ego ante annos XX docui, quòd sola fides sine operibus iustificet, ut adhuc constanter doceo. Sed si quis tunc temporis fuisset exortus, qui docuisset, uitam monachorum et monialium esse idololatriam, et profanationē Missæ esse tetrum spectaculum, profectò si talis hæreticus non fuisset crematus meis manibus, tamen pedibus iuissem in illorum consilium, qui dicerent rectè factū esse. Et ego incogitantißimus fatuus, non poteram uidere consequentiam, quam oportet me concedere: uidelicet, si fides per se sola hoc præstaret, non præstituram esse uitā monasticam, aut Missæ profanationē. Et quòd adhuc erat pulchrius, sciebā illa tātum esse humanas traditiones & humana opera. Et ego tamen bonis operibus à Deo præceptis, & in fide factis, id non tribuebā. Equidem fateor me tunc temporis egregiè egisse Nestorium & Eutychem (quanquam in alio genere) cum unam partem rei concedebam, & alteram quæ sequebatur ex priori non uellem concedere. ut Nestorius concedit, Christum esse Deum & hominem: & tamen non uult concedere, quòd ille idem Deus sit natus et mortuus, quòd inde sequitur bona consequentia.

Vlterius LVTHERVS reprehendit Papistas,

ſtas, quòd nec fidem Catholicam doceant, nec bona opera. Interea ipſi quoq; gnauiter dimicant ac multo atrocioribus conuicijs Lutherum inceſſunt, quòd nec ipſe ſinceré doceat fidem catholicam, & prohibeat bona opera. Quis igitur ſcrupus eſt, qui eos urget, quo minus conſentiant utrique, cum tamen idem fateantur? Dicam tibi. Aliquis Neſtorius ſic errauit in idiomatis. Lutherus requirit omnino bona opera: ſed hoc non concedit, ut illis tribuantur hæc magnifica & diuina idiomata, ſatisfacere pro peccatis, placare iram Dei, & iuſtificare peccatores. Nam hæc idiomata alij tribuenda ſunt, illi uidelicet qui uocatur AGNVS DEI, qui tollit peccata mundi. Omnino ſanguini et morti filij Dei hæc idiomata relinquenda ſunt. Bonis operibus alia idiomata, alia merita & præmia adſcribantur. Ibi uerò horribiliter tumultuantur Papiſtæ, et bonis operibus ſimpliciter uolunt hoc tribui, quòd ſatisfaciant pro peccatis, & homines faciant iuſtos. Clamitant igitur, quòd Lutherus non doceat, ſed prohibeat bona opera. Verùm ipſi non uident hanc conſequentiam, quòd æquè nihil ſit, dicere de bonis operibus quòd ſatisfaciant pro peccatis, et ſint meritoria ad uitam æternam: quàm hoc nihil eſt, prorſus ſilere de doctrina bonorũ operum, quia talia bona opera nihil ſunt in rerum natura, nec poſſunt

existere in ullo loco uel parte naturæ. Itaq; eo ipso quòd Pharisaica pertinacia docent & profitentur bona opera, nulla prorsus opera docent.

Iam uides quæ sit dialectica Nestorij, qui antecedens concedit, & negat cõsequens, & eo ipso etiam antecedens facit uitiosum. Nam si unum est uerum, etiam alterum est uerum, in uera consequentia. Econtrà, si postremum est uitiosum, primum etiam erit tale. Bona opera satisfaciunt pro peccatis: hoc non tantum cõcedunt, uerùm etiam uehemẽter urgent. Sed alterum, quod inde sequitur, uidelicet quòd talia opera non sint bona, imò prorsus nihil sint, hoc damnant. Et tamen hoc ipsum ex prioribus sequitur optima consequentia. Nam bona opera, quæ satisfaciunt pro peccatis, perinde sunt, ac si nihil essent talia opera. ut et hæc consequentia firmißima est: Qui docet id quod nõ est, docet nihil. Eodem modo etiam de fide dici potest: Qui de tali fide docet, quæ non sola & sine operibus justificat, ille tantũ docet, ac si nihil doceret. Nam talis fides quæ iustificat cum operibus, aut per opera, nihil est, & nusquam extat.

Dabo adhuc craßius exemplum. Aliqui Iureconsulti concedunt, sacerdotum coniugia esse approbanda. Sed hanc consequentiã reijciunt, quòd ipsorum liberi sint legitimi hæredes. Hoc perinde est

de est ac si dicerent, sacerdotum coniugia esse fornicationẽ. Nam posito coniugio, poni necesse est, natum esse hæredem bonorũ patris. Si enim non est hæres, nec coniugium ibi aliquod erit. Hoc usitatè dicitur in scholis, Negare consequens antecedentis concessi, in bona consequentia: & destructo consequente, retinere antecedens, quod est impossibile. Et his nõ fit iniuria, si dicantur esse homines imperiti & rudes. Sed uterq;, cùm Nestorius tum Eutyches, impeditus est ingenij tarditate, ut multis accidit in alijs rebus. Nam sine ulla dubitatione, hæc utriusque fuit sententia uel opinio, quòd Christum pro Deo & homine in una persona crediderunt, ut historiæ & acta Conciliorum hoc declarant: & tamen rationem huius consequentiæ non potuerunt iudicare, quod hæc persona quæ simul Deus est & homo, sit quidem crucifixa, & cœlos cõdiderit: Deum autem non posse crucifigi, nec hominem cœlos condere.

Et quid uolumus multa de nobis dicere? Apostoli Hierosolymis cum multis milibus Iudæorum fuerant iustificati sola fide, id est per gratiã Christi: & tamẽ etiam infarctos habebant subtercutaneos Nestorios & Eutyches, qui tenebant eis oculos, ne cernerent hanc consequentiam, quòd lex Moysi nihil conferret, aut conferre posset ad salutem: sed uolebant illi etiam tribuere idiomata

quæ tantum sunt tribuenda unico illi agno, qui est AGNVS DEI. *Et dicebant (ut suprà diximus) gentiles saluari non posse, nisi circunciderentur, aut seruarent legem Moysi.* Hoc planè *erat annihilare et reijcere Christum, cum sua gratia: ut* Paulus *inquit, Gal. 2. Si ex lege est iusticia, Christus frustra est mortuus.* Et Rom. 11. *Si gratia, ergo non opera. Sed illi qui tunc erant* Hierosolymis, *dicebãt sic:* E*st quidem hoc beneficiũ solius gratiæ, est tamen etiam ascribendum solis operibus.* Nam *sine lege nemo potest saluari, etiam si tantũ per gratiam sine operibus hominẽ oportet saluari.* Hoc propriè *est spontaneo uulnere lacerare genas, & nõ intelligere quid dicatur.* In *scholis usitatè sic loquũtur, ut dictum est: Antecedens concedere, & cõsequens negare: uel consequens destruere, et antecedens affirmare est, simul & semel dicere* Est *et non est, de una & eadem re.* Hoc *nemo facit nisi sit prorsus hebes, aut sycophanta sit extremè impudens.*

Sic iam faciunt etiam mei Antinomi, *qui pulchrè declamitant (& fieri potest ut faciant bono zelo) de gratia Christi, de remißione peccatorũ, & quicquid præterea de articulo redemptionis dicendum est.* Ipsi *uerò hoc consequens, quasi panico terrore acti fugiunt, cum erudiendi sunt homines de tertio articulo sanctificationis, hoc est,*

de noua uita in Christo. Nam ipsi existimant homines non esse terrendos, aut turbandos: sed semper mollißimè concionandum esse de gratia & remißione peccatorum, & ut pestem uel mortem ipsam fugienda esse hæc & similia uerba: Audi, tu uis esse Christianus, et interea tamen uis scortari, helluari, adulteria exercere, superbire, alterius bona ad te trahere, usuris illicitis opes cumulare, inuidia uel odio ardere aduersus alium, uis esse cupidus uindictæ, & seducere alios malis exemplis, &c. Sed hoc dicunt: Audi, si es adulter, es scortator, es auarus, aut pollutus alijs peccatis, si tantū credis, saluus es, non est quòd perhorrescas minas legis, Christus iam omnia impleuit.

Quæso dicas mihi, an non est hoc antecedens cōcedere, et cōsequens negare? Imò hoc ipsum est Christū è medio tollere, et extremè eum extenuare tunc, cum ipsius beneficia inenarrabilia & inmensa, publica uoce totius Ecclesiæ in omnibus templis prædicantur: & nihil sonare, nihil dicere quàm contradictorias, est et non est, de ijsdem rebus. Nam talis Christus nihil est, & nusquam est, qui sit mortuus pro eiusmodi peccatoribus, qui nihil curant remißionem peccatorum, nec de prioribus delictis pœnitent, & nouā uitam inchoant. Ita illi quadam Nestoriana & Eutychica dialectica Christum prædicant, quòd sit Christus, et ta-

men non sit. Et probè quidem rhetoricantur de azymis Paschalibus, sed in ferijs Pentecostes turpiter hallucinantur, ac pro igneis linguis habent plumbeas: quia prorsus nihil dicunt de sanctificatione & uiuificatione Spiritus sancti, sed tantum de redẽptione Christi, cum tamẽ Christus (quem magnificè extollunt, & quidem meritò) ideo est Christus, uel ideo liberationẽ à peccato & morte nobis meruit, ut nos Spiritu sancto regeneret, ut simus noua creatura Dei, conuersa ex ueteri Adam, ut peccatis mortui iustitiæ uiuamus, ut Paulus docet: & in hac mortali uita fiat inchoatio, & crescat nouitas, quæ consummabitur in æterna uita. Nam Christus nobis non tantum gratiam, sed etiam donum, id est donationem Spiritus sancti meruit: ut non tantum remißionem peccatorum, uerùm etiam auxilium Spiritus sancti habeamus resistendi peccato.

Iam qui non desinit peccare, sed manet in statu uitæ prioris, illi oportet alium Christum monstrari ab Antinomis: quia uerus Christus nõ adest, etsi omnes turmæ angelorum clamarent una uoce, Christus Christus. Et oportet talem cum suo commenticio Christo in omni æternitate damnatum esse.

Iam considera quàm simus inepti & infœlices Dialectici in magnis rebus, quæ sunt supra nostrum

ſtrum captum, aut nõ ſæpe ſunt agitatæ, ita ut in una & eadem re contradictorias concluſiones ponamus: ſed in nihili rebus nemo nos uincit dialectico acumine. Aliquis enim ruſticus quantumuis hebes, ex communi ſenſu iudicat hanc ratiocinationem: Qui dat mihi groſſum, non dat mihi aureum. Hoc enim ultrò ſequitur, & eſt ibi manifeſtiſsima ratio conſequentiæ. Sed noſtri Antinomi nequaquam uident, quòd Chriſtum prædicãt ſine Spiritu ſancto, & contra Spiritum ſanctum, cum doceant, etiam ad illos qui perſeuerãt in ſceleribus, pertinere promiſsionem uitæ & ſalutis æternæ: cum tamen hoc uelit conſequentia, in homine conuerſo requiri Spiritum ſanctum, qui regat cor: & in corde inchoari nouam obedientiã, & nouam uitam: aut homo prorſus eſt ſine mediatore, & ſine Deo. *Et tamen illi aſini uolunt uincere in* Dialecticis M. Philippum *et* Ariſtotelem, *ut interea nihil dicam de* Luthero: *quia illi egregiè exercuerunt* Papam. *Ab illis eſt proſtratum robur & potentia regni* Pontificij.

Verùm Neſtorij *&* Eutychis Dialectica *in mundo ut* Epidemius *morbus graſſatur, præſertim cum ſacra* Scriptura *tractanda eſt: in alijs rebus tamen aliquanto eſt tolerabilior.* Etſi *nonnunquam iureconſultis et gubernatoribus in grauibus & ſubtilibus cauſis ſatis faceſsit negocij, ita*

ut utriq; interdum cogantur concedere contradictorias, & magnis laboribus controuersias tandem componere.

Iam si alteruter, Eutyches uel Nestorius, superbè & pertinaciter mansit in terrore (quod nõ possum uel debeo temerè affirmare, nisi quantum constat ex lectione historiarum) facta dijudicatione ab Episcopis, non tantum ut hæretici, sed etiam ut magni fatui meritò & rectè damnati sunt: sin cesserunt de sua sententia (ut nominatim de Eutyche fit mentio in actis Synodalibus) & Episcopi iuxta Pauli consilium non amanter admonuerunt lapsum errore: etsi de controuersia rectè iudicarunt, tamen de illa atroci & durißima sententia (cum Synodorum tum magna fuerit autoritas, & in hac Synodo penè 360 Episcopi congregati fuerint) coram tribunali iustißimi iudicis respondere cogentur.

Ego memini, quòd M. Ioannes Vuessalia (qui fuit concionator Moguntiæ, & antè Erfordianã Academiam libris & lucubrationibus suis rexerat, ex quibus ego etiam ibidem sum promotus in magistrum) ob hanc solam causam est adiudicatus morti ab illis cruentis & parricidialibus sanguinarijs, qui uocantur Hæreticæ prauitatis inquisitores (uel potius inuentores) ordinis Prædicatorum, quòd nolebat dicere, Credo Deum esse:

se:sed dicebat, Scio Deum esse. Nam omnes Academiæ communi consensu iudicabant, per se notum esse, quòd sit Deus, ut S. Paulus Rom. 1. etiam affirmat. Et quàm scelerate & nefarie egerint Dominicastri cum Ioanne Hilten Isenaci, Franciscano, narratur in Apologia.

Pono casum, quòd ad me & te non præmonitos ueniat uir honestus, qui posset mirabili & aspera oratione rem ita exaggerare, ut appareret prorsus esse peregrina, diceretq; sic: An nõ est admiratione dignum, surrexit nouus Propheta, qui docet, quòd si homo fiat perfecte sanctus, non tantum poßit facere miracula, sed etiã cœlos, terrã, angelos, & omnia quæ in eis cõtinentur, condere ex nihilo, ut aliqui Scholastici disputauerunt lib. 4. Et quod multo peius est, dicere æternum & uerum Deum esse mortuum, &c. Quod certe utriq; essemus præ absurditate negaturi, quasi à diabolo profectum.

Scriptura dicit: Ego Deus, & non mutor. Et S. Paulus: Qui solus habet immortalitatem. Quid opus est uerbis? Deus solus uiuit, & est ipsa uita: Ille contrà interpellaret nos dicens; Tamen et ipsi sic docetis, ac dicitis, Christus est homo perfecte sanctus, qui condidit cœlum & terram: præterea & tam uerus Deus, qui in ara crucis pro nobis oblatus & mortuus est.

Ecce

Ecce quàm sumus subitò facti tetri Nestorij et Eutyches, qui simul fatemur, quòd Christus Deus *& homo in una persona, sit pro nobis mortuus, cœlum & terram condiderit: cum quidem paulo antè dixissemus, monstrum esse, & si quid est terribilius monstro, qui ausit dicere, hominem condidisse cœlum & terram, et* Deum *esse mortuum: cum tamen consequentia hoc manifestè probet, ex eo quòd nos Christum* Deum *& hominem in una persona amplectimur. Ibi uides, quòd idiomata facili occasione homines non præmonitos offendant & perturbent.* Hic erat *subueniendum teneris conscientijs fraterna, amica et salutari admonitione, nec superbißimè errātes abijciendi essent.* Vtinam *meo iudicio nō respondeat euentus.* Sed *uereor profectò, aliquos hæreticos in nouißimo die fore iudices: & illos ipsos* Episcopos, *penes quos fuit iudicandi potestas, in æternum damnatos iri.*

Deus *est mirabilis & incōprehensibilis in suis iudicijs: nisi quòd scimus eum esse propitium humilibus, & infensißimum superbis.* Et *præsertim in* Concilijs *&* Ecclesijs *nihil erat agendum zelo, uel inuidia, uel superbia: quia* Deus *non potest ferre.*

Has habui cogitationes de Eutyche, *quibus si non proximè acceßi ad rem ipsam, bene: potius illi*

li reprehendendi sunt, qui mandarunt illa literis. Cur enim non ordinatius aut accuratius scripse- runt ista, ut possent melius intelligi? Et quid tum fieret, etiamsi acta huius Concilij *prorsus essent amissa ex manibus hominum? nõ propterea fides Christiana prorsus nulla erat futura.* Tamen *multo plura & utiliora scripta perierunt, quàm sunt acta huius* Concilij.

S. *Augustinus ipse queritur, quod pené nihil inueniat apud suos antecessores, quo poßit iuuari in refutatione* Pelagij:*cum necesse sit, ante id tempus multa esse disputata in hac controuersia, quæ fuit magni momenti. Sed ego sequutus sum in his cogitationibus uerba* Leonis *episcopi* Romani, *qui scribit* Eutychis *&* Nestorij *hæresim é diametro pugnare, & planè inuicem esse cõtrarias.* Iam *constat ex* Tripartita, *quòd* Nestorius *Christum uerum* Deum *& hominem esse confeßus sit acerrimo zelo.* Nec *fuit partium* Arianorum, *qui simpliciter nolebant concedere Christum esse* Deum: *sed profligauit eos in exilium, & persequutus est ad necem usq;. Verùm illa est eius hæresis, quòd idiomata eum perturbarunt et cõfuderunt, quòd* Deus *debuit de muliere nasci & crucifigi.* Neces- *se est igitur,* Eutychen *defendisse cõtrarium.* Fuit *quidem persuasum* Eutychi, *Christum esse* Deum *& hominẽ.* Sed *idiomata diuinæ naturæ non uult*

tribuere

tribuere humanitati Christi, sicut econtrà Nestorius idiomata humanæ naturæ non uult tribuere Deo, in Christi unica persona. Hæc sunt inuicem sibi contraria, uel inuersa.

Sin hæc fuit eius sententia, ut simpliciter negaret humanam naturam in Christo: tunc ipsius hæresis non est contradictoria respectu Nestorianæ hæresis. Sed necesse est eum fuisse amentem et furiosum, qui simul statuit, quòd in Christo diuinitas cum humanitate sit unita: & tamen una natura, nempe diuinitas, maneat uel fiat. Hoc non tantum *esset contra Nestorium, uerùm etiam contra omnes fideles & infideles, contra omnes pios & impios, & contrà omnes ethnicos & homines. Quia nemo unquam sic docuit. Sed quia rem sic annotarunt, ut testentur ipsi* Eutychen *confessum esse, quòd in una persona Christi sit unita diuinitas & humanitas, & quòd alij sic scribunt, quasi non uellent ista intelligi, etiam uolentes non uolumus illa intelligere. Quid enim nostra? cum aliàs habeamus meliora & certiora.*

Eutyches *affirmat perspicuè in Synodo, q; non sit usus talibus uerbis, qualia de se referant alij: nempe quòd humanam naturã in Christo neget.* Ex quo *animaduerti potest, quòd errarit, nec humanitatem Christi negare uoluerit. Sed si ego essem* D. Lutherus, *libenter audirem ipsos* Papistographos,

graphos, cur adeò ſint impudẽtes, ut auſint dicere, Neſtorium ſimul duas perſonas, & tamen unam tantum perſonam in Chriſto credidiſſe: Eutychen uerò ſimul duas naturas, & tamen unam tantum credidiſſe. Credo certè, ipſos etiam fuiſſe Neſtorianos & Eutychicos dialecticos. De Theologia nihil dico. fortaßis enim ſunt αὐτιλογίςαι.

Et ut ad diſputationem de Concilijs denuò redeam, etiam hinc eſt perſpicuũ, quòd hoc Concilium nõ condidit nouos articulos fidei: ut ne hinc quidem poßit haberi exemplũ, quod probet, Concilijs tribuendam eſſe poteſtatem: ut nouis articulis humana autoritate confictis Eccleſiã onerent. Nam hic articulus multo locupletius & firmius fundatus eſt in ſcripturis: Ioan. 5. Omne iudicium dedit filio pater, quia eſt filius hominis. Hic ſi uoluiſſet Chriſtus loqui Eutychiana phraſi, dicendũ fuiſſet, quia eſt filius Dei. Nam iudicare, eſt idioma diuinæ naturæ, non humanæ. Chriſtus autem tribuit hoc humanæ naturæ, nempe filio hominis, id eſt, uirginis Mariæ filio. Et Matth. 22. interrogat Chriſtus Phariſæos, quomodo hæc ſint concilianda, quòd Dauid Chriſtum, qui tamen erat ipſius filius & ſemen, nominet ſuum Dominum. Si eſt filius aut ſemen Dauidis, quomodo igitur ſedet ad dexteram Dei? Hic diceret Eutyches, Dauidis ſemen non poteſt ſedere ad dexte-

ram Dei, sed Dei solius filius. Et fatetur tamen, quòd filius Dei & filius Dauidis sit una personá. Verùm ubi sedet hæc persona, ibi sedet Dei et Dauidis filius. Hanc consequentiam non cernit Eutyches. Alij igitur de ipso suspicati sunt, quòd Christum non haberet pro homine, sed tantum pro diuina persona & natura, cum tamen reuera hæc non sit ipsius sententia.

Et ut breuiter dicam, omnes prophetæ, omnes loci Scripturæ sanctæ, qui Christo uel Meßiæ æternum regnum tribuunt, item liberationē à peccatis, morte, inferno, omnes opponi possunt Eutychi. Quia omnes illi loci asseuerāt, semē mulieris contriturum esse caput serpentis, Gen. 3. id est, superaturum esse mortem, peccatum, diabolum et inferos: quæ sunt diuinæ naturæ idiomata, nō seminis mulieris. Et omnes gentes debebāt benedici et saluari per semē Abrahæ: Gen. 22. Hoc etiam est, peccatū, mortē, infernū, maledictionē Dei tolli. Hæc etiam sunt idiomata, nō seminis Abrahæ, sed diuinæ naturæ. Deniq; illa grauißima et magnificentißima uaticinia Dauidis, Esaiæ, Hieremiæ & omnium prophetarū, quæ de semine Dauidis concionantur, quòd sit instauraturum æternam iusticiam, id est mortem, peccatum, infernum aboliturum: quæ omnia sunt idiomata propriјßima diuinæ naturæ, & illius æternæ maiestatis.

statis. Et tamen hæc est perpetua cõsuetudo Scripturæ sacræ, ut hæc idiomata tribuat filio Dauidis Christo, qui est filius Mariæ uirginis. Si igitur nondum habeo controuersiam huius Synodi, aut non rectè eam intelligo: habeo tamen testimonia perspicua, ad quæ Concilium quoq; suam confeßionem et sententiam, tanquam ad normam accommodare debet. Et ipsorum ueritas est mihi certior, quàm sunt omnes omnium temporũ Synodi.

Qui uolet, poterit ulterius legere acta Concilij, priuata opera. Ego ad tædium & nauseam usque legi ista. Eiusmodi chaos ceremoniarum & confusionum est ibi, ut uideatur rectè iudicasse Gregorius Nazianzenus, S. Hieronymi præceptor, qui tametsi ante illa tempora uixit, & Synodis eruditioribus ac sedatioribus interfuit, tamen ita scribit in quadam Epistola: Sic affectus sum, si dicenda est ueritas, ut malim omnes Episcoporum conuentus uitare: quia nullius Synodi finem uidi bonum, aut qui magis tolleret mala quàm augeret. Nam cupiditas contentionis & principatus, et æmulatio, uincunt rationem. Vt profectò mirer quî fiat, quòd propter hæc uerba non dudum eum excommunicauerũt, ut atrocißimum hæreticum. Sed quid sit quod dicit, in synodis Episcopos certasse ambitione, superbia, φιλονεικίᾳ, habes in hac Synodo clarißimum exemplum. Nec sunt

necessariò sancti, qui purè docent, aut ueram doctrinam à corruptelis uindicāt. nam Balaam etiā habebat spiritum propheticum: Iudæ etiam erat commissum munus ueri Apostolatus: & Pharisæi sedent super cathedram Moysi, & rectè docent: Matth. 23. Igitur nos etiam oportet esse præmunitos ad confirmandam nostram fidem maiori certitudine, quàm est Conciliorum certitudo: illa uerò maior certitudo est comprehensa in sacris libris.

Quod autem certum sit, quòd hic dicit, se nullius Synodi uidisse finem bonum: docent nos historiæ. Nam Ariana hæresis iocus fuit ante Nicenū concilium, præ illa cōfusione, quam ipsi post Concilium excitauerunt, ut suprà dictum est. Talis etiam fuit Macedonici & Nestoriani Concilij. Nam illa pars quæ est condemnata, eo fuit coniunctior, ut tali specie cōcordiæ & unitatis suas præstigias pingerent, quasi nulla iusta ratione damnari possent: subinde excitabant maiora certamina contra Concilia, quæ ipsi non rectè intelligebant. Quomodo etiā accidit nobis Germanis cum Constantiensi concilio, cum Papa concilio obnoxius, & ex suo solio eiectus esset, & ipsius crudelitas & tyrannis extremè condemnata est. Ex eo tempore Papa septem nocentioribus diabolis obsessus est, & suam crudelitatem tyrannicā iampri mum stabiliuit: uorat, prædatur, furatur omnes

episcopatus,

episcopatus, monasteria, templa, circumfert uenales indulgentias, plenariam remißionem peccatorum & pœnarum purgatorij: figit leges precio atq; refigit: Deum, Christum, et Spiritũ sanctum, nefariè prodit ac perdit: Imperatores & reges ad mutua exitia & uulnera armat, bella gerit & indicit pro libidine, profundit sanguinem innocentum, occidit animam & corpus: ut perspicuè poßit conspici, quale sit hoc idolum, quod adorat Romana curia. Eiusmodi precio nobis compensarunt hunc laborem, quòd in Constantiensi concilio Pontifices ab officio deposuimus & reformauimus: scilicet exitus huius Concilij fuit nõ cruentus? Sanè uobis, si libet, liceat deinceps rursus remouere Pontifices ab officio, & reformare: ut si non sunt satis septem Cacodæmones, septuaginta septem legiones Diabolorum eos arment contra nos: saltem si tantum restat spacij, quòd pluribus diabolis præbeat hospitium, & nondum ad summum usq; diabolis antea sunt repleti. Hæc est Constantiensis concilij reformatio.

Sic igitur absoluimus nunc quatuor Concilia generalia, additis causis, propter quas sunt congregata. Primum, celebratum est in Nicæa, quod diuinitatem Christi defendit contra Arium. Alterum Constantinopolitanum, diuinitatem Spiritus sancti defendit cõtra Macedonium. Tertium

Ephesinum, unam personam defendit contra Nestorium. Quartum Chalcedonense, duas naturas in Christo contra Eutychen defendit. Sed interim nulli noui articuli conditi sunt. Nam hi quatuor articuli multo locupletius fundati sunt uel in uno Euangelio Ioannis: etiamsi alij Euangelistæ, & S. Paulus, S. Petrus, nihil de hac re scripsissent, qui tamen etiam de illis rebus omnibus grauissimè docent & testantur, & ad Prophetica testimonia congruunt. Si igitur hæ quatuor Synodi principales, quæ ab Episcopis Romanis, quatuor Euangelijs, iuxta ipsorum decretum, conferuntur, (quasi tales disputationes non essent multo locupletius tractatæ, unà cum omnib. articulis fidei, in Euangelijs: aut quasi Concilia non haberent ista ex Euangelijs. Tam sunt liberaliter instituti illi asini Episcopi, ut non intelligant, quid sint Euangelia uel Concilia) nihil noui uoluerunt aut potuerunt in articulis fidei comminisci uel constituere, ut fatentur ipsi: quanto minus talis potestas potest tribui alijs Concilijs, quorũ multo minor est authoritas, cum hæc quatuor Concilia principalia esse & uocari debeant?

Ad hunc modum etiam oportet iudicari omnia alia Concilia, siue magna, siue parua, etiamsi multa millia cogerentur in unum aceruum, quòd nihil noui neq; in doctrina de fide, neq; de bonis

operibus statuant: sed ut summus iudex, & supremus Episcopus sub Christo, fidem ueterem & antiqua bona opera defendunt, ex sententia & testimonijs Scripturæ sanctæ. Nisi quod interdum etiam obiter de temporalibus, caducis, mobilibus negotijs, pro necessitate suorum temporum disputant: quod tamen aliâs etiam fit, extra loca Conciliorum, in omnibus templis & scholis. Sin aliquid noui statuunt in doctrina de fide, uel bonis operibus, certissimum sit, Spiritum sanctum non ibi esse: sed impium spiritum, cum suis angelis. Necesse est enim ipsos hoc præter & extra sacram Scripturam, imò etiam contra sacram Scripturam audere. Vt Christus ipse dicit: Qui non est mecum, contra me est. Spiritus sanctus nihil scit uel potest aliud, quàm S. Paulus cũ inquit 1. Cor. 2. Nihil scio præter IESVM CHRISTVM *crucifixum. Nec Spiritus sanctus est datus, ut nobis aliquid extra Christum suggerat, aut doceat: sed ut omnia nos in Christo doceat, & commonefaciat, in quo omnes thesauri sapientiæ & mysteriorum iacent reconditi. Illum nobis debet illustrare, ut Christus inquit: nec nostram rationem aut somnia iactare, aut quasi numen adorare.*

Hæc igitur Concilia extra scripturam, sunt Caiphæ, Pilati & Herodis, ut Apostoli dicunt Act. 4. Conuenerunt in unum aduersus Dominum, &

aduersus Christum eius. Et Euangelistæ omnes scribunt, quòd summi Pontifices & Pharisæi consilia & deliberationes iniuerint, uel Synodos cõgregauerint, quomodo Christum possent interficere, ut Dauid antea fuerat uaticinatus Psalmo 2. quòd contra Deum & ipsius Christum essent consultaturi, & Christi conciones uincula & laqueos nominaturi, quæ ipsi uelint rũpere & excutere. Talia fuerunt maiori ex parte Papæ concilia, in quibus se, ut Christi uicarius, pro capite Ecclesiæ sistit, scripturam sanctam pedibus conculcat & lacerat: ut ipsius Decreta ostendunt, quanto furore constantiæ utramq; speciem cœnæ Dominicæ damnet, cum quidem antea coniugia diuulsisset, prohibuisset & condemnasset, imò Christum ipsum denuò crucifixisset et sepelijsset.

HIC IAM EXORIETVR QVAEstio principalis, propter quam hunc libellũ edo: Quid igitur est Concilium? aut quis est eius effectus, uel usus? Nam si nõ debet condere nouos articulos fidei, horribiliter hactenus deceptus est totus mũdus: quia maximæ multitudini in toto hoc est persuasissimum, quicquid Concilium decernit, id esse articulum fidei, aut saltem esse opus necessarium ad salutem æternam: & ita necessarium, ut qui Concilij decreta non seruat, ille nunquam poßit saluari in æternum, cum Spiritui sancto autori

tori & præsidi Conciliorum aduersetur.

Ego uerò citra periculum conscientiæ, aut erroris suspicionem, clarè pronuncio & affirmo, quòd nullum Concilium (ut suprà dictum est) habeat potestatem condendi nouos articulos fidei, cum hæc quatuor principalia Concilia nihil tale fecerint. Volo igitur hic recitare quid sentiam, et ad principalem quæstionem respondere, in hunc modum.

I. *Quòd Concilium nullam habeat potestatem condendi nouos articulos fidei, etiam si præsens adsit Spiritus sanctus. Nam & Apostolorũ concilium Hierosolymis nihil noui statuit in doctrina fidei. Acto. 16. Sed sicut S. Petrus concludit, quòd etiam ipsorum maiores crediderint hunc articulum, Oportere saluari homines sine lege, tantum per gratiam Christi credentem saluari.*

II. *Concilium habet potestatem, & debet hoc exequi, ut deleat et damnet nouos articulos fidei, iuxta sacram Scripturam & fidem ueterem. Sicut Concilium Nicænum damnat nouum articulum Arij, Constantinopolitanũ Macedonij, Ephesinum nouum articulum Nestorij, Chalcedonensẽ nouum articulum Eutychis.*

III. *Concilium nullam habet potestatem præcipiendi noua bona opera, nec potest hoc facere: quia iam antea farrago uel catalogus omniũ bo=*

norum operum, longißima serie recitatur in Scriptura sancta. Quis hominũ ulterius posset excogitare unum bonum opus, quod non doceret uel nominaret Spiritus S. in sacris literis? ut sunt, humilitas, patientia, mansuetudo, misericordia, ueritas in seruãdis dictis et pactis, fides, bonitas, pax, obedientia, disciplina, castitas, liberalitas, communicatio officiorum, &c. Et in summa, omnia officia, omnes uirtutes utiles & necessarias communi uitæ, comprehendit dilectio. Quis tandem potest excogitare unum bonum opus, quod non sit præceptum in uocabulo Dilectionis? Si uerò est extra dilectionem, quale bonum opus potest esse? præsertim cum dilectio (ut Paulus definit) sit impletio omnium mandatorum, ut Christus ipse dicit Matth. 5.

IIII. Habet potestatem, & debet necessariò curare, ut mala opera, pugnantia cum dilectione, reijciat & damnet, iuxta sententiã Scripturæ sanctæ, et morẽ ueterem Ecclesiæ Dei: et personas uitijs obnoxias uel infames seriò reprehẽdat, ut Niceni concilij decretum taxat Episcoporũ & Diaconorum ambitionem, & alia uitia.

Hic uerò etiam dicendum esset de duplici genere malorum operum. Aliqua, quæ manifestè mala uocantur, et sunt, ut auaritia, cædes, adulteria, ambitio, et similia: talia cõperimus à Concilijs dam-

nata

nata esse, sicut etiam sine Concilijs in Scriptura damnata sunt, & in iure Ciuili puniuntur.

Sunt uerò etiam alia noua bona opera quæ nō uocantur mala, quòd præ se ferant eximiam speciem sanctitatis & pietatis: & si uocentur bona, perinde sonat ac si dicas honesta uitia, sancta profanitas, niue candidior Diabolus, *uel lucidißimus Satan. Hæc mala, dico bona, noua opera, ab hypocriticis & pharisaicis, uel potius dæmoniacis & furiosis sanctis audacißimè cōficta, extremè damnanda & reijcienda, & ad uiuum usq; resecanda sunt. Struūt enim insidias salutari doctrinæ fidei, & sunt scandalo uitæ Christianæ, & utrunq; deformant, uel contemptum reddunt.*

Vt si aliquis Christianus habens teneram conscientiam, audit uel uidet aliquem sanctū Eremitam *uel monachum, qui grauitate uitæ, abstinentia, & singularibus exercitijs alijs hominibus antecellit, supra ueterem aut uulgarem Christianismi formam uel conditionem, offenditur: & cogitat, quòd omnium ueterum sanctorum uita collata ad hunc nouitium sanctū, nihil sit, aut sit prorsus profana, ac non sine scandalis.* Hinc *in omnes mundi angulos influxit illa horribilis sentina abominationum, quòd aliquis Christianus, ciuis uel rusticus, qui uera et sincera fide nititur filio* Dei, *& se exercet in ueris ueteribus honestis & pijs*

 operibus,

operibus, & præceptis à Deo in Scriptura, ut in humilitate, patientia, mansuetudine, castitate, dilectione & fidelitate erga proximum, diligentia et cura in laborib. uocationis, in officijs deniq; pertinentibus ad cõmunem societatem (qui enim sic uiuit, est uerè patriarchicus sanctus & Christianus) eum tamen oportet sordescere, & prorsus nihil esse præ nouo illo sancto, qui sub peculiari habitu, ciborum genere, ieiunijs, stratis, gestibus, & similibus nouis bonis operibus, superbus, ambitiosus, iracundus, impatiẽs, liuidus, libidinosus, pseudochristianus est. Tales nominat Paulus ipse superbos, & propria persuasione fascinatos sanctos, qui sibi ipsis eligunt nouum et peculiare uitæ genus, & cultus nouos (non mandatos diuinitùs) præter illam ueterem, ueram, communem uitæ formam, & cultus catholicæ Ecclesiæ Dei, à Deo institutos & præceptos.

Fieri potest, ut electi in eiusmodi nouis scandalosis operibus sint seruati: sed oportuit eos illas nouas exuuias rursus deponere, & in antiqua Christiana cute saluari. Sicut accidit S. Antonio, cum discere cogeretur, quòd sutor uel coriarius Alexandrinus præcelleret pietate & exercitijs spiritualibus, ipsius Monasticen: sicut & fatebatur, quòd nondum attigisset illam metã, ad quam peruenisset coriarius. Sic etiam ille magnus S. Ioannes,

nes, primus Eremita (qui etiam uaticinatus fuerat futura Imperatori Theodosio) à S. Augustino magnificè prædicatus, cum mirarentur pleriq; ipsius asperrima exercitia, inter quos unus erat S. Hieronymus, respondit: Quid apud nos quæritis eximij, cum multo melius sint cõstitutæ uestræ Ecclesiæ, ubi proponũtur uobis Apostolorum & prophetarũ scripta exempla? Sanè hoc est exuere cucullum, & se subijcere Scripturæ sanctæ, & tantum prædicare mediocre genus uitæ, quod omnes pij amplectuntur. Item Paphnutius didicit, quòd esset similis fidicini, qui fuerat grassator in uijs publicis. Item duabus coniugibus, qui maritis illa nocte condormierant. ita ut tandem diceret: Nullum uitæ genus, nullus gradus uitæ est contemnendus. Sic etiam S. Bernhardus, Bonauentura, & haud dubiè multo plures boni homines eò sunt perducti, ut tandem sint experti, quòd ipsorũ recens conficta sanctitas & Monachatus nullo modo possent opponi peccato & horribili iudicio Dei & morti. Sed errorem constanter sunt confeßi, & sine hac superstitiosa & recens conficta sanctitate in ueteri Christiana fide saluati sunt, ut S. Bernhardi uerba in multis locis testantur.

Eiusmodi noua bona opera nusquã reperiũtur in Concilijs (præsertim in his quatuor generalibus concilijs) damnata esse, præterquam quòd una

na uel altera parua Synodus, qualis fuit Gangrensis, in qua fuerunt XX Episcopi (qui liber recens est editus) fecit operæprecium. Sed multo magis hanc nouam sanctitatem paßi sunt crescere, donec catholica Ecclesia Dei penè non potuit agnosci amplius, aut cognosci: et negligentes hortulani patiũtur ita luxuriare insiticios ramos, ut interea detrimentum patiatur germana stirps, donec prorsus intermoriatur & pereat. Tamen temporibus S. Antonij Monachatus ita iam radices egerat, ut in hoc quarto cõcilio, non procul à Constantinopoli fuerit Abbatia, in qua Eutyches, iam toties nominatus Abbas fuit: quanquam non fuit tam splendida & regia munitio, ut nunc sunt Monasteria uel fundationes, quia nominant eum Archimandritam. Mandræ autem (ut aiunt) uocantur facticia sepes uel carectum, quod texitur ex rubis, frondibus, uepribus, ad custodienda pecora, uel mapalia in quibus asseruantur greges ouium. Et Eutyches, ut supremus Episcopus, in tali carecto cum suis uictitauit, segregatus à communi hominum cœtu. Vnde intelligi potest, quid tunc temporis fuerint cœnobia: cum nondum fuerunt ulla cœnobia, quæ fuissent circumdata mœnibus, aut muris præclusa.

Sed planè eodem modo, sicut fit in hortis, cum frondes temerè luxuriantes accrescunt fœlicius,

quàm

quàm germani & fertiles rami: sic etiam fit in horto Ecclesiæ, cum eiusmodi nouitij et adulterini sancti, quasi ad latus stirpis enascuntur, & uolunt tamen etiam esse Christiani, & se reficere illo nobilißimo succo huius arboris. Imò etiam sibi pollicentur, quòd plus uelint attrahere succi de fide & uita Christiana, quàm ueri & antiqui illi rami uel sancti.

Et quia hoc postulat ratio instituti nostri, oportet me hoc quoq; indicare obiter, quòd ex lectione historiarū annotaui. S. Bernhardus fuit Abbas annis totis 36, & intra illos paucos annos CLX monasteria condidit sui ordinis. Iam constat, quales fratres fuerint Cistercienses: etsi tunc temporis tenuiter uiuebant, iam uerò possent conferri hæc monasteria ad splendidos ducatus. Et dicam quiddam amplius: tunc temporis sub Imperatore Henrico tertio, quarto, quinto, intra annos 20, quatuor ducales Monachorum ordines orti sunt: ut Grandimontenses, Canonici regulares reformati, Carthusiani, & Cistercienses. Quàm longa series posset recitari, si quis uellet colligere ordines et monasteria, quæ sunt condita his 400 annis, ad nostra usq; tempora? Profectò aliquis rectè posset dicere, cœlum pluisse et ninxisse Monachorum tot milibus. Et non esset mirum, si nulla ciuitas, nullus pagus mansisset reliquus, in quo non

esset

esset monasterium unum uel alterum, aut ad minimum unus Terminarius uel Stationarius.

In historijs obiurgatur Imperator Valentinianus, quòd sit usus opera Monachorum in militia & castris: sed non existimetur id esse factum sine graui consilio, quia creuerat ignaua et ociosa turba. sicut legitur de quibusdam regibus Gallicis, qui sanxerunt edicto publico, ne quis posthac ingrederetur monasteria. & præsertim mancipia notabătur hoc edicto, quia prætextu cuculli quærebant libertatem: post patrata scelera, ad Monasteria omnes, uelut ad asylum confugiebant.

Mundus uult falli. Quădo auceps insidiari uult erithacis, aut alijs auibus, oportet in mediŭ statuere noctuă, &c. Igitur tunc procedit opus. Sic fit etiam, quando Diabolus uult decipere uel fascinare pias mentes, induit se cucullo, aut (ut Christus loquitur) assumit tetricum & toruum uultum. Ac multo plus miratur stulta multitudo tales noctuas et decipulas, &c. quàm ueram paßionem, sanguinem, uulnera, mortem & resurrectionem, quæ omnia uidemus & audimus Christum sustinuisse pro nostris peccatis. Ita cateruatim ruimus præcipites, posteaquam semel à fide Christiana desciuimus, ad illam nouam sanctitatem, quæ propriè est rete & decipula Diaboli: quia studio & contentione singulari affectamus nouitates.

Christi

Christi mors & resurrectio, fides et dilectio, adeò sunt antiquata et trita, ut quilibet possit sibi arrogare excellentem & perfectam cognitionem rerum tantarum. Igitur illa omnia nihil iam sunt. Sed oportet nos habere nouos inuentores absurditatũ, ut sanctus Paulus dicit. Et rectè ita fit, cum ita pruriant nostræ aures, ut non possimus amplius tolerare ueterem & incorruptam ueritatem: tantum ut aceruemus, uel oneremus nos infinita mole nouorum dogmatum, sicut fuit, est & erit usitatum omnibus temporibus. Nam sequentia Concilia, præsertim pontificia (quia post illa tempora pleraq; fuerunt pontificia) eiusmodi noua bona opera non tantum non damnarunt, uerũ etiam ubiq; locorum in toto terrarum orbe longissimè extulerunt, supra uetera bona opera: ut Papa etiam multos sanctos fecerit Canonicos, aut ex ordine monastico ad altiores dignitatum gradus euexerit.

Principiò quidẽ fuit ualde pulchra monachatus species, & adhuc est: sed postrema nimis horribilem faciem, & immane monstrum referunt, cum sine fine & modo crescant illi abusus, quotidianis aucti superstitionibus. Vt sancti Francisci initia erant aspectu speciosa & splẽdida: sed nunc audacia & impudentia multorum res eò est delapsa, ut etiam cadauera uestiant cucullis, quasi ta-

lis

lis habitus Franciſcanus *mereatur defuncto ſalutem æternam.* An *non hoc eſt horrendum auditu? Ita quidem fit, quando ſemel mens incipit deſciſcere à filio* Dei, *& labi pergit, poſtea non poteſt deſinere.* Quid *eſt factum noſtra ætate in* Belgico,*cum* Domina *Margaretha mandaret, ut poſt mortem ueſtiretur more monialium? quod ita factum eſt.* Induta *eſt habitu monialis,eſt collocata ad menſam uarijs delicijs cibi & potus inſtructam,adhibitis pocillatoribus more ducali & regio.* Illud *erat opus meritorium remiſsionis peccatorum, ibi pœnitebat de ſuis peccatis, & erat ſanctimonialis. Cumq́; aliquot dies duraſſet hæc fatuitas,et reſciuiſſet optimus ille* Imperator CAROLVS, *ſeuerè prohibuit.* Et *niſi oppoſuiſſet ſe tanti* Principis *autoritas, haud dubiè manaſſet hoc exemplũ in omnes partes orbis terrarũ.* Tales *exitus ſortitur, & neceſſariò ſortitur, nouus ille* ἁγιασμὸς, *qui putat omnia ſua eſſe diuina, præ illo ueteri & minimè fucato* Chriſtianiſmo. Hic *non ita delirat,ſed ſui ſimilis perpetuò manet,& aſsiduè exercet ſe in fide,dilectione, humilitate,diſciplina,patientia,&c.ut nihil monſtrorum, ſed tantum iucunda, dulcia, ſedata & utilia exempla conſpiciantur,quæ ſint probata* Deo *& hominibus.* Sed *illa noua & ceremonioſa ſanctitas,tumultuatur & ſtrepit mirabilibus & inuſitatis*

tatis

tatis gestibus, quibus homines leues mox alliciun tur:resq; magnas iactitāt, quæ reuera nihil sunt, ut S.Petrus *etiam testatur.*

Ita Gerson *scribit de* Carthusianis, *quòd rectè & piè faciant, cum adeò strictè seruant regulam sui ordinis,ut non uescantur carnibus,etiamsi illis esset pereundum. Iam si peritus & fidelis medicus iudicaret, ægrotantem posse pristinis uiribus restitui aliqua sorbitiuncula ex carnibus gallinaceis,aut buccella carnis, et non posse ulla alia re seruari corpus languefactum & imbecille:tamen nemo esset obtemperaturus medico, sed ægrotanti potius esset moriendum.*

In hoc casu ualde mihi placet consilium Augustini,*qui scribit in suo* Canone, *medicos esse consulēdos.*Et *dicit amplius:*Non *omnibus suppetūt eædem uires.*Non *igitur omnes uno et eodem modo tractandi sunt.*Profectò *illa est ualde pulchra* ἐπιείκεια, *nec obligat ad perpetuam captiuitatem huius ordinis.* Non *enim carcer uel carnificina hominum fuit hoc monasteriū initio: sed fuit quasi quoddam familiare contubernium uel collegium paucorum sacerdotum.*

D.*Staupitius aliquando mihi narrauit,se audiuisse ex quodam* Vormaciēsi *episcopo, qui fuit* Dalburgius*:* Si *nihil aliud scripsisset* S. Augustinus *præter hanc regulam,tamē unicuilibet faten*

dum esse, quòd fuisset uir excellenti prudẽtia præditus. Et uerum est: quia Carthusianos extremè ut sicarios, & ipsorum cœnobia ceu speluncas latronum (sicut reuera nihil aliud sunt) extremè damnasset.

Ego ipse uidi Erfordiæ *in cœnobio Carthusianorum, quendam ualetudinariũ incedere nixum bacillo, & iuuenem adhuc. Quem cum interrogarem, an non ex cõmiseratione remitteretur ei aliquid de uigilijs, & cantionibus in choro?* Non *(inquit ipse, querula uoce, & lamentabundus) oportet me pergere.*

Sed meminerimus, nos ferre dignas pœnas pertinaciæ & contemptus nostri. Cœlestis pater uerus, uiuus & æternus Deus, *misit nobis filium suum* Dominum *nostrum* IESVM CHRISTVM, *ut esset doctor et saluator.* Nec *id quidẽ solũ, sed ex throno excelso æternæ maiestatis suæ se demittens ipse clara uoce totum genus humanum alloquitur,* Hunc *audite. Hic nos debebamus cum* Apostolis *iacere prostrati coram tota diuinitate, et ita attenti audire uocem loquentis* Dei, *ac si nulla alia uox sonaret in tota creatura.* Nos *uerò securi hæc cœlestia & diuina oracula æterni patris, filij &* Spiritus *sancti uelut inanes sonos sinimus euolare in uacuas auras, et priuata audacia confictas traditiones ac somnia magnificè extollimus.*

extollimus. Tandem illud etiam fit, quod LXI Psalmo dicitur: Populus meus non audit uocem meam, reliqui igitur eos in desiderijs cordis sui.

Hic est fons & prima origo, ex qua promanãt tales bellæ ἐθελοθρησκείαι καὶ ἀφειδίαι, *Coloß. 2. id est, proprio arbitrio & nostra sponte electi cultus, & illa crudelitas qua trucidamus nostra corpora, & nobis ipsis uoluntariam & uiolentã mortem consciscimus. Cum tamen Deus præceperit, ut honorem habeamus nostris corporibus, nec simus nostri interfectores & parricidæ. An nõ putas, si iuxta regulam S. Augustini, & S. Pauli doctrinam, medicis fuisset permissa cura & consiliũ de salute sacerdotum, & in primis mulierum, multi boni & sancti homines seruati essent, qui aut furore, mania, aut tabe paulatim cõsumpti miserabiliter perierunt? quemadmodũ experientia quotidiana satis declarabat. Sed fuit tunc tempus iræ et indignationis, quod oportuit gubernari ab illa noua & insana sanctitate, ut exemplum pœnæ mundi esset illustre.*

Quintò: Non habet potestatem ullam Concilium, cæremonias Christianis imponere, sub obligatione peccati mortalis, aut periculo conscientiarum: ut ieiunia, dies festos, genera ciborum, potus, uestes. Si uerò id faciunt, opponatur eis perspicuum testimonium S. Augustini ad Ianuarium,

*qui dicit:*Hoc *genus habet liberas obseruationes, et Christus paucas quasdam ceremonias tradidit. Cum enim ipsis nō liceat mandare talia, etiam no bis licet illa omittere.*Imò *clarißimū testimonium habemus* Pauli *Coloß.2.ubi prohibet obseruatio-nem humanarum traditionū, inquiens:*Nemo *uos iudicet in cibo, potu, uel in parte diei festi.*

Sexto: Concilium habet potestatem, & debet hoc exequi, ut has traditionum moles destruat & extirpet radicitùs ex Ecclesia, *iuxta normā Scri-pturæ sanctæ: quia sunt palàm impiæ, & præbent occasionem nouis idololatrijs, & nouis cultibus, qui sunt à* Deo *non præcepti, sed prohibiti.*

Septimò: Concilium non habet potestatem, ut se misceat Imperijs, *aut politicis ordinationibus, &c. quia sanctus* Paulus *clarè dicit,* Qui *uult ser uire* Deo *in militia spirituali, illum oportet absti-nere à negotijs mundanis.*

O*ctauo: Concilium habet potestatem, & debet hoc præstare, ut tales ceremonias iussu scripturæ execretur & damnet, iuxta normam* Scripturæ *sanctæ: ut molem* Decretalium Pontificiarum *si-mul totam ignibus tradat.*

Nono: *Concilium non habet potestatem edendi talia statuta uel decreta, quæ prorsus nihil quæ-runt præter tyrannicam & iniustam sæuitiam: id est, quæ concedunt* Episcopis *regiam potestatem*

mandandi

mandandi quicquid uolũt, quaſi uerò totus orbis debeat ſtare uel contremiſcere ad ipſorum nutus. Sed habet poteſtatem, & debet execrari illa omnia ad normam ſcripturæ ſanctæ. 1. Pet. 5. Non dominemini ſuper populum. Et Chriſtus dicit: Vos autem non ſic.

Decimò: Concilium habet poteſtatẽ inſtituendi aliquas cæremonias, tali diſcrimine. Primùm, ne eiuſmodi cæremoniæ Epiſcoporum iniuſtam ſæuitiam excuſent, aut confirment. Secundò: Vt populo ſint neceſſariæ & utiles, et proſint ad diſciplinam & ordinem gubernationis in Eccleſia. Oportet enim eſſe aliquos dies, & aliqua certa loca, ad quæ fiant congreſſus ad miniſterium publicum. Item, oportet eſſe certas horas deputatas publicis concionibus, adminiſtrationi Sacramentorum, inuocationi, et pijs concionibus, gratiarum actioni, cantionibus & celebrationi Dei, &c. Sicut Paulus dicit 1. Cor. 4. Omnia fiant ordine & decenter in Eccleſia. Hæc teſtimonia non faciunt ad ſtabiliendam tyrannidem Epiſcoporũ: ſed tantum ſpectant communẽ neceßitatem, auditorum utilitatem, et ordinis conſeruationem in Eccleſia. Et in ſumma, neceſſariò hæ partes retinẽdæ ſunt, & nullo modo carere eis poſſumus, ſaltem ſi aliqua Dei Eccleſia ſuperſtes manere debet.

Attamen cum propter graues & neceſſarias

causas, morbos, aut similia impedimenta (quæcunque tandem possunt incidere) interdum non possent illa obseruari: tum non obligant sub pœna peccati mortalis, quia fit hoc in ipsius commodum, non in gratiam Episcopi. Si est Christianus, non patietur aliquid detrimenti sibi ex ea re accedere. Quid Deus ista curat, etiamsi quis non optat uel cupit esse in tali cœtu? Quilibet de se cogetur reddere rationem. Et in summa, qui Christianus est, non patietur iniici talia uincula suæ conscientiæ: libentius facit illa, quàm omittit: saltem si poßit hoc facere, non impeditus. Propterea non potest ei ulla lex præscribi, aut determinari. Immò si posset, certè uellet et plus facere, quàm hæc lex postulat. Qui uerò ista superbè, arroganter & pertinaciter contemnit, illum omittito. Nam talis audebit etiam contemnere sublimiores leges, siue diuinas siue humanas.

Sed obijcias forsitan hic: Quid tandem fiet de Concilijs, si ad uiuum omnia uis resecare? Hac conditione quilibet parochus uel pædagogus (ut nihil dicam de parentibus) plus habebit potestatis, uel imperij in suos discipulos, quàm Concilium in Ecclesiam.

Respondeo: Putas'ne adeò esse tenue aut angustum officium parochi, aut ludi moderatoris, ut non poßint aliqua ex parte conferri ad Concilia?

Si

Si nulli essent parochi aut Episcopi, quomodo possent conuocari Synodi, uel Concilia? Si nullæ essent scholæ, ubi deberent educari uel institui personæ aptæ ad gubernationem Ecclesiasticam? Loquor autem de talibus ludimagistris, qui non tantum in artibus teneram ætatem erudiunt: sed etiam in doctrina Christiana fideliter instruunt, & summo studio eam inculcant. Idem etiam dico de talibus pastoribus, qui fideliter & purè docent doctrinam cœlestem.

Illud enim poßim facillimè probare, quòd miser ille pastor in Hippone, S. Augustinus, plus docuit, quàm omnia Concilia: ut interea taceam sanctißimos Pontifices Romanos, qui meritò forsan metuendi sunt.

Dicam & quiddam amplius: Maius lumẽ accedit doctrinæ Christianæ ex Catechismo puerili, quàm ex omnibus Concilijs. Præterea oratio Dominica & decem præcepta plus continent doctrinæ et eruditionis, quàm omnia Concilia. Deniq; non modò non docent, sed prohibent, ne aliquid noui inuehatur in Ecclesiam, contra usitatam & ueterem doctrinam.

Deus bone, quàm futuri essent celeres & acuti Papistæ, ad excerpenda & exagitanda hæc uerba, & ad contradicendum: & interea tacituri de magnis meis & grauibus causis, propter quas in

hunc modum de hoc toto negotio disserui: quia sunt homines sic satis boni, qui nihil aliud præstare possunt quàm calumnias et mendacia mera, quæ meritò debebã perhorrescere. Sed non ual de peto, ut Deus mihi remittat hæc peccata: quia tamen non possum abstinere à talibus conuicijs, ipsis per me uicißim sit integrum calumniari, & mentiri quantũ et quandiu uolẽt. Deus iudicabit.

Sed disputemus nos de negotio, & tu & ego. Quid potest facere Concilium, aut quod est eius principale opus? qui effectus? Audi tu ipsorum uerba: ANATHEMATIZAMVS. Hic est titulus officij, quod ipsi tenent. Imò adhuc mul to loquuntur deuotißius, et non dicunt, Anathema tizamus: sed dicũt, Anathematizat Ecclesia. Con cilij sententia de cõdemnatione, non ualde me mo ueret: sed electæ Ecclesiæ Dei fulmen me in uno momẽto interficeret, propter illũ qui dicit: Ego sum uobiscum usq; ad consummationẽ seculi. Huius uiri imprecationem uel maledictionem nulla creatura potest sustinere, ne angeli quidem.

Verùm quia Concilia allegant autoritatẽ sanctæ catholicæ Ecclesiæ Dei, ut suprem ũ iudicem, testantur, quòd non sibi sumant iudicium suo arbitrio, sed quòd Ecclesia iudicet: quæ sacram scripturam enarrat, credit & confitetur, ut audiemus. Perinde ut fur aut latro satis esset tutus

aduersus

aduersus iudicem, quoad suam personam: sed leges & tota prouincia coniungunt se apud iudicem, tanquam suum exequutorem & ministrum: hæc duo coniuncta cogitur metuere is, qui furti reus est.

Est igitur Concilium *nihil aliud, quàm consistorium publicum, iudicium* Cameræ, Parlamen*tum, aut similis consensus, in quo iudices audita utraq; parte ferunt sententias: tali tamen modestia & humilitate, ut dicant se hoc facere conseruandæ iusticiæ causa. quasi dicant;* Nostri *officij est* Anathematizare, *id est condemnare et reijcere in uniuersum; sed non pro nostro arbitrio, aut recens conficto iure, uerùm ex iure ueteri, quod per totum* Imperium *iudicatur esse cõgruum uel consonum diuinis & humanis legibus.* Ita *etiam* Concilium *potest damnare hæreticũ, non ut ipsis uidetur esse iustum: sed ut ius* Imperiale *pronunciat esse iustum, id est, sacra* Scriptura *(id quod ipsi fatētur) quæ est scriptũ ius* Catholicæ Eccle*siæ* Dei. Tale *ius, tale regnũ, & iudex talis, profectò tam est metuendus, quàm est metuenda pœna inferni & æternæ damnationis.* Quia *ius hic nominamus illam æternam & immutabilem normam uerbi diuini.* Regnũ *est, electa* Ecclesia Dei. *Iudex uel præfectus, est utriusq; præfectus, uel minister.*

Talis iudex, seu exequutor iuris, & minister huius regni, non tantum est Concilium, sed etiam quilibet Pastor, aut Ludimagister. Praeterea Concilium non perpetuò aut continuò hanc exequutionem retinere potest: quia Episcopi nō possunt perpetuò una esse congregati: sed oportet eos certis temporibus cōgregari, cum necessariò aliqui anathematizandi aut iudicandi sunt. Vt cum aliquis Arius Alexandriae uult eminere prae suo Parocho aut episcopo, & attrahere ad se imperitam multitudinem totius illius prouinciae, & alienos pastores aut alios homines uult miscere illis negotijs, ut tandem Pastor Alexandrinus succumbat: & suum iudiciale officiū non amplius poßit ius huius regni, id est ueram Christianā fidem defendere. In tali casu, & tali tempore, debent alij Pastores & Episcopi accurrere omni studio & contentione, ad iuuandum pastorem Alexandrinum: contra Arium ueram fidem defendere, & Arium damnare, ad uindicandos alios, ne illa confusio crescat in infinitum: & nisi poßint pastores conuenire ex uarijs locis, debet ille optimus Imperator Constantinus etiam sua autoritate iuuare talem congregationem. Vt cum oritur subitum incendium, si paterfamiliâs nō potest id solus restinguere, debent omnes uicini data opera accurrere, ut ignis tandem restinguatur. Et nisi accurrant

spontè,

ponte, debet magistratus mandare ut coacti ac-currant, & ignis impetum conentur Anathemati zare, uel cohibere, ne & uicina ædificia incendio pereant.

Ita tum Concilium est ille magnus minister, uel iudex, in tali regno, & tali lege. Sed quando nulla amplius adest necessitas, iam fecit quod debuit. Vt in politica gubernatione, oportet summos magistratus esse exequutores, cum inferiorũ iudiciorum autoritas, ad cohorcendam petulantiam sceleratorum hominum non sufficit: donec tandem perueniatur ad illum summum gradum, ad comitia, quæ etiam non possunt esse perpetua. Sed cum negotia sunt transacta, iterũ postea dissipantur, & causæ inferioribus iudicijs rursus committuntur. Sed in comitijs solet accidere, ut nonnunquam nouas uel plures leges condant, ueteres mutent & emendent, uel prorsus tollant. Nec fieri potest, ut ex una & eadem lege omnibus temporibus sententiæ de rebus ferantur. Quia est politica gubernatio ordinans temporalia, quæ mutantur pro temporibus. Necesse est igitur & leges mutari, quæ de rebus mutabilibus sunt conditæ. Cum enim cessant illæ res propter quas initiò lex est condita, cessat etiam executio legis.

Exempli gratia: Vrbs Roma non est amplius in eo statu & dignitate, in qua fuit antea. Iura igitur

tur & priuilegia, quæ sunt sancita & ordinata propter illam urbem, unà cum illa republica interierunt, nec amplius obligant. Quia uerißimum est, Res mutabilis habet & ius mutabile.

Sed in hoc regno Ecclesiæ res sic habet: VERBVM Domini manet in æternum. Iuxta hoc uerbum iudicandum est, non sunt audacißimè fingenda noua aut alia uerba, noui aut alij articuli fidei condendi. Sunt igitur pastores & præceptores in Scholis inferiores: sed tamen quotidiani perpetuò manentes, et sempiterni iudices, qui sine cessatione anathematizant Diabolũ, et ipsius furores animo maximo aßiduè reprimunt. Concilium, ut supremus iudex, cogitur adultos & grandes ueteratores reformare, aut omnino interficere: nõ autem potest alios denuò educare. Pastores & ludi moderatores tantum laborant in cohercenda iuuenili & inepta fatuitate seu lasciuia iuuentutis, & subinde alios atq; alios educant, qui olim præsint Ecclesijs & concilijs, postulante necessitate. Concilium amputat grandiores arborum ramos, aut degeneres stirpitus eradicat atque euellit. Sed pastores & ludimoderatores propagant & fouẽt tenera arbusta, & odoratos frutices, ornamenta huius horti. O quàm preciosum, sublime & sanctum uitæ genus colũt illi. Ipsi sunt preciosißima monilia, & amplißimus thesaurus Ecclesiæ, quia

ſeruant Eccleſiam. Debebant igitur omnes gubernatores in hanc unicam curam incumbere ſummo ſtudio, ut Eccleſiæ & ſcholæ rectè conſtituerentur. Nam cum Concilia haberi non poſſunt, parrochiæ & ſcholæ, quanquam parua, perpetua tamen & neceſſaria præſidia Conciliorū cenſenda ſunt.

Manifeſtiſsimum eſt ex hiſtorijs ueterū, quanto ſtudio, quanta cura, & quàm paterno animo et ſollicitudine antiqui Imperatores amplexi ſint Eccleſias & Scholas: quòd tanta liberalitate & munificentia ingentes reditus illis donarūt. Nam quòd initio Epiſcopatus fuerint ſcholæ, teſtantur illa uetuſta uocabula, Præpoſitus, Decanus, Scholaſticus, Cantor, Canonici, Vicarij, Cuſtos, &c. Sed quorſum omnia iſta degenerarunt? Vtinam adhuc tale aliquid facerent. Retinerent ſanè ſuum ſplendorem, ſuas dignitates, manerēt in ſuis poſſeßionibus, eſſent Principes & magni Domini: ſaltem reſtituerent lectiones aliquas, & cogerent Canonicos, Vicarios, Chorales, ut per diem ſaltē unam lectionem audirent, quæ enarraret ſacram Scripturam, ut rurſus aliquo modo ſaltem ſcholis eſſent ſimiles Epiſcopatus: atq; poſtulante neceßitate in promptu haberentur Paſtores & Epiſcopi, qui pro uirili iuuarent adminiſtrationem Eccleſiarum. Deus bone, quantum illi profuturi

eſſent

essent Ecclesiæ, quantis beneficijs cumulaturi Ecclesiam, *si illud facerent? Quàm præclarè consulturi conscientijs afflictorum?* Et Deus *absq; omni dubio ipsis hanc pietatem abundè esset pensaturus: esset eos amplioribus ornaturus opibus, dignitate, potentia, gloria, &c. saltem si emendarent illam plusquam barbaricam & turpem uitam.* Verùm *nostri gemitus et nostræ querelæ sunt inanes soni: quia ipsi demersi in profundum cœnum uoluptatum, cæci sunt, & surdi: patiuntur* Ecclesias *uastari, & miseram plebeculam sine uerbo* Dei *bestialiter & turpiter uiuere.* Quoties *ipse audiui à multis fide dignis, in multis* Episcopatibus 200, 300, 400 Ecclesias *stare desertas?* An nō *hoc est miserandum, stupendum & triste spectaculū?* Profectò *terribile & ominosum est, has profanitates audiri inter illos, qui uolunt esse* Christiani *atq; etiam* Euangelici. Deus *uerus, uiuus et æternus misereatur nostri, iudicet ipse, et exaudiat nostros tristißimos gemitus & suspiria:* Amen.

Et *ut aliquando finiamus disputationē de* Concilijs, *existimo ex his quæ recitaui perspicuū esse, quid sit* Concilium, *quod sit eius uerum & principale officium, quæ exequutio, quæ authoritas: & quæ sint uera aut falsa* Concilia. Nempe *quòd contra nouos articulos fidei, ueram fidem, quæ fuit in* Ecclesia *inde usq; ab initio, debeant defendere,*

&

& suam confeßionem constanti uultu & animo edere: nec nouos articulos fidei contra Symbola uetera primitiuæ Ecclesiæ *condant, aut statuant. Item, ne noua bona opera comminiscantur, contra bona opera uetera: sed bona opera uetera defendant, cõtra noua bona opera.* Qualis *enim est fides, tales sunt fructus fidei, uel bona opera.* Nisi *quòd hæc duo* Concilia *hanc consequentiam non potuerunt deprehendere: alioqui ipsi archimandritam* Eutychem *non tantũ in causa fidei (quod quidem fecerunt magno zelo) sed etiam propter monasticam hypocrisin (quod non fecerunt) condemnassent.* Qua *re ipsi satis ostenderunt, quàm fuerint parum fœlices* Dialectici, *qui antecedens concedunt, consequens non concedunt, communi uitio uel errore omnium hominum, in eo ipso errore de bonis operibus, quem* Nestorius *&* Eutyches *habuerunt in fide.*

Hoc *perinde est ac si dicam:* Deus *non tantum uult in causa fidei esse infantes & lactentes, sed uult etiã in ipsa dialectica nos habere pro fatuis, & quasi* Nestorios *uel* Eutyches *nos omnes æstimare, ut aliquantulum simus demißiores.* Etsi *enim* Nestorius *&* Eutyches *horribiliter hallucinati & damnati sunt: tamẽ ipsorum stulta & inanis dialectica manet in mundo, sicut semper mansit inde usq; ab initio, ut antecedẽs recipiatur, &*

consequens

consequens dimittatur. Et quid opus est uerbis? Etiamsi omnium Synodorũ decreta possent per infundibulũ demitti in tuum corpus, tamẽ nondũ esses Christianus: quia nimis parũ conferunt. Et si habeas ingẽtes aceruos patrum repositos in uno aliquo loco, illi etiam non tantum dabunt tibi quantum opus est. Oportet te recurrere ad Scripturam sanctã, quæ omnia capita doctrinæ Christianæ uberrime explicat: uel oportet te redire ad prima principia, quæ cõtinentur in Catechismo: in quo etsi sua quædam est breuitas, tamen rerum magnitudo in illa breuitate comprehẽsa, superat omnes omnium ætatum Synodos & patres.

Deniq; Concilium eò debet contendere, et hoc unicum spectare, ne laboret caussa fidei. Nam mala opera, quæ sunt manifesta & notoria, singulæ ciuitates, uel etiam pagi possunt anathematizare, per magistratus, pastores, parẽtes: & tueri alios, rectè facientes. Spectant uerò etiam falsa opera, quæ habent titulum et speciem bonorum operum, ad causam fidei, ut quæ corrumpant doctrinam de uera fide.

Sunt igitur illa quoq; (cum pastorũ non sufficit autoritas) afferenda in Conciliũ. Quanquam Concilia, ut dictum est, non anxiè disputarunt illa, præter unum uel alterum: ut Gangrense, cuius suprà fecimus mentionem. Denique cæremoniæ

prorsus

prorsus ex Synodalibus conuentibus erant remittendæ in Ecclesias, uel potius in Scholas, ut rector Scholæ esset magister ceremoniarũ, unà cum pastore. Nam à scholasticis cæteri omnes discunt ceremonias, sine ulla opera uel institutione. Ita quicquid, quandocunq; & quomodocunq; scholastici in templo canũt uel orant, statim id imitatur uulgus. Et quicquid canunt in deductione funeris, mox etiam alij has formas cantionum discunt, cum procidunt in genua, & complicant manus, quando rector scholæ nutat baculo, cum canitur, Et homo factus est. Hos gestus & hæc signa imitatur uulgus, cum aperto capite, aut flexo poplite nominant IESVM CHRISTVM. Et quicquid præterea est talium gestuum uel assuefactionum, quæ ad disciplinã pertinent, totum hoc imitatur uulgus, etiam non admonitum publica exhortatione, permotum uidelicet uiuis exemplis. Tamen omnes ceremoniæ etiã sub Papatu ex scholis & templis manarunt: nisi quòd Papa postea illam pulchram pædagogiam conuertit in tetram lanienam & carnificinam traditionum de cibis, ieiunijs, diebus festis, &c. Quanquam & hic modus est adhibendus, ne onera cæremoniarũ & traditionum crescant in immensum.

Præcipuè uerò illud magnopere cauendũ est, ne talis persuasio occupet mentes rudium, quasi il

la ſint neceſſaria ad ſalutem: ſed tantum exiſtimẽtur conducere ad externam diſciplinam & ordinem in Eccleſia. *Cæterùm mutari ea poſſe ſingulis horis et mometis, nec habenda eſſe pro æternis & immutabilibus legibus (ut rudit* PAPASELLVS*) mandatis in* Eccleſia, *aut tyrannica minacitate libris mandandis, quia prorſus externa iſta, corporalia & mutabilia ſunt.*

Itaq; *hac noſtra ætate haberemus cauſas ſatis quidem graues et dignas, propter quas conuocari deberet* Synodus. Nam *nobis miſeris, ærumnoſis, infirma fide præditis, & prò dolor uerè* μισέργοις, *id eſt ignauis Chriſtianis, qui manſimus reliqui, iamdudum fuiſſet accuſandus* Papa *cum ſuis, propter articulum* S. Petri *(de quo ſuprà dictum eſt) quòd uidelicet ſit tentare* Deum, *cum credentes onerantur impoßibilibus oneribus, quæ neq; nos, neq; maiores noſtri (in primis uerò* Papa *cũ ſuis ne quidem uno digitulo uult attingere) portare potuerunt.* Tametſi S. Petrus *loquitur de lege* Moyſi, *quã* Deus *ipſe immediatè præcepit & tradidit.* Sed Papaſellus *ille, nos ſuis ſordidis, merdoſis & putidis oneribus oppreßit, & ſanctã atq; electam* Eccleſiam Dei *penè fecit ſuam cloacã & ſterquilinium.* Et *quicquid uel per anum uel per os euomuit, illud nos tanquam ſacrũ aliquod thymiama & cœleſte numen adorare oportuit.* Præ-

terea,

tered,non unam aut alteram tantum, ut Arius & sui similes:sed totam Catholicam Ecclesiam semel & simul ignibus dedit, & in cineres redegit,eo fine,ut ueterem & uerum fidei articulum, quem S. Petrus tractat, funditùs euerteret, & aboleret, quantum in ipso fuit. Nam quod nós (ut S. Petrus testatur) tantum per gratiam Christi saluari oportuit,quemadmodũ tota Ecclesia inde usq; ab initio conditi mundi, omnes patriarchæ, prophetæ,reges sancti et saluati sunt:hoc blasphemat ipse ut hæresin,& inde usq; ab initio hunc articulum subinde magis magisq; damnauit, necdum desistit furenter contrà contendere.

Hîc inclamamus clara uoce cœlum et terram, & flagitamus Concilium,& imploramus auxiliũ & consilium uniuersæ catholicæ Ecclesiæ Dei, contra illum primarium incendiarium Ecclesiæ, & sceleratũ parricidam,et hostem nominis Christiani, ut poßimus iterum recuperare articulum S.Petri.

Verùm ea conditione hoc petimus, ne quisquã in hac controuersia utatur Nestoriana uel Eutychica dialectica, quæ quidem unam partem concedit & fatetur,sed consequens uel alteram partem negat. Nos requirimus integrum articulum planè & purè, ut primum à Petro constitutus, & à Paulo declaratus est:nempe,ut simul etiam dam-

nentur ea quæ ex hoc articulo ſequuntur, uidelicet in æternum damnatum eſſe, aut (ut S. Petrus *nominat) intolerabilia aut impoßibilia onera, et (ut S.Auguſtinus) innumerabilia onera impoſita* Eccleſijs *ab* Epiſcopis. Quid *iuuat, etiamſi concedatur prima pars:uerum ſcilicet eſſe,quòd tantum per gratiam Chriſti oporteat homines ſaluari & iuſtificari?* Et *tamen non conceditur altera pars,quæ ſequitur ex priori,ut cum dicit* Paulus, *Si gratia,ergo nõ merita:Si merita, ergo non gratia.* Et S.Petrus: *Si gratia,non eſt illud intolerabile onus. Si eſt illud intolerabile onus, profectò nõ eſt gratia Chriſti,quod quidem eſt tentare* Deum. *Item S. Auguſtinus: Cum Chriſtus uellet paucis cæremonijs oneratam* Eccleſiam, *imò prorſus eſſe liberam, noluit eam innumerabilibus oneribus* Epiſcoporum *opprimi, ut multo peius nunc habeat* Eccleſia, *quàm* Iudæi *qui onerati erant diuinis legibus, nec, ut* Eccleſia, *ab humanis priuata audacia confictis traditionibus.*

Talem igitur dialecticam S. Petri, S.Pauli, S. *Auguſtini poſtulamus,quæ eſt* Spiritus *ſancti dialectica, & rem totam tradit,non mutilatam, more* Neſtoriano *: aut tantum unum aliquid concedit,& alterum quod ſequitur ex priore,non uult concedere.* Alioqui *perinde eſſet,ſicut de quibuſdam regibus &* Iudæis *ſcriptum eſt:* Quod *reſtituerent*

tuerent quidem uerum cultum Dei: sed summum altare, aut alia altaria & cultus non aboleret. Quod propheta Elias uocat, in utrumque latus claudicare. Nos Germani dicimus, Duos affines sibi iungere affinitate per unam sororem. Ita ipsi uolebant uni populo duos Deos, uel saltem iuxta illum uerum & unicum Deum, etiam alium peregrinum et commenticium Deum collocare. Erant *enim ipsi crassi Nestoriani dialectici, qui fatebantur solum Deum esse adorandum: & tamen non uidebant, quod necessariò inde sequitur. nec sequi quidem hanc consequentiam sinebant, quòd omnes alij dei essent reijciendi, aut prorsus carendum esse uero Deo. Itaq; nolumus in hoc Concilio, quod à nobis flagitatur, admittere ullum Nestorium, qui unum nobis concedat, alterum uerò adimat. Nam ea ratione ne illud quidem retinere possumus, quod nobis concedit.* Et *uerè potest de eo dici, Concedis, non concedis: seu, Quod altera manu das, altera recipis: quod Germani dicunt: Gebers, Nemers. Cum enim illud nobis cōceditur, quòd tantum gratia Christi nos saluet: & non simul etiam conceditur consequentia uel instantia, quòd opera nos non iustificent aut saluent: sed hoc uolūt retinere, quòd opera sint necessaria ad satisfactionem, uel ad iusticiam: tunc illud etiam nobis eripitur, quòd prius concedebatur, nempe quòd*

tantum gratia, sine operibus nos faciat iustos. Itaq; nihil nobis manet reliquum, & error maiori errore corrigitur.

Dicam nunc simplicissimè quod sentio. Papa debet in Concilio nō tantum abolere tyrannidem humanarum traditionum, sed nobiscum firmiter statuere, quòd etiam bona opera facta iuxta mandata Dei, tamen nihil conferant ad iustificationē, ad abolendum peccatum, ad impetrandum beneficium reconciliationis, uel acceptationis gratuitæ: sed tantum fides per Christum, qui rex est iusticiæ in nobis, per suum preciosum sanguinem, mortem & resurrectionem, per quam ipse aboleuit peccatū, satisfecit pro eo, placauit iram Dei, & nos à morte, ira Dei atque inferis liberauit. Debet igitur omnes suas bullas, decreta, libros de indulgentijs, de purgatorio, de monachatu, de cultu sanctorum, de peregrinationibus & alijs innumeris mendacijs & idolatrijs cōdemnare & comburere, ut qui pugnant præcise cum articulo sancti Petri. Debet etiam omnia illa restituere, quæ mercatus, furatus, prædatus est, quæ direptionibus & uastationibus, iniustissima & notoria uiolentia atq; cōcussione, tot regnis, nationibus, prouincijs, urbibus rapuit, eripuit, atq; extorsit: præsertim uerò suum ementitum primatum, prorsus ex omnibus libris & locis debet expungere ac delere,

lere, ut quem audacißimè iactitet adeò esse necessarium, ut nemo poßit sperare uel assequi æternam salutē, qui non sit subditus Papæ. Nullo modo hoc admittamus. Nam galerus, & pileus Cardinalicius, aut Pontificius, non est mortuus pro meis peccatis, nec uocatur Christus. Et omnes Christiani, ante ipsum, & sub ipso, sine tali pileo sanctificati & saluati sunt.

Hæc sanè est, ut opinor, causa satis ardua, & digna propter quam frequens, celebris, authentica, seuera, & aspera Synodus celebrari debeat. In quod debebant seriò incumbere Monarchæ orbis terrarum, Reges & Imperatores: & Papam, si non spontè hoc faceret, cogere: sicut Imperatores antea in quatuor generalibus Concilijs fecerunt.

Nec uerò opus esset, ut cò conuenirent omnes Episcopi, Prælati, Monachi, Doctores, & illa turpißima colluuies & sentina ignauißimorum hominum. Alioqui futurum esset, ut in tali Synodo consumeretur primus annus uanißimis altercationibus de aduentu, de ordine in seßionibus, qui supremo aut infimo loco sedere deberet: item in incessu, quis primus aut ultimus in ordine esse. Secundus annus consumeretur inutilibus pompis, splendido & exquisito apparatu cōuiuiorum, equestribus certaminib. & monomachijs. Tertius annus peregrinis & leuibus rixis, uel etiam sup-

plicijs et tormentis unius uel alterius Hußi: et interea tanti fierent sumptus, quibus sine ulla accessione posset ali ingens & instructißimus exercitus contra Turcam. Sed ex omnibus locis conuocandi forent homines solidè docti in Scriptura sacra, qui etiam gloriæ Dei, catholicæ fidei, utilitati Ecclesiæ, saluti animarum & tranquillitati publicæ seriò & toto pectore consultum uellent. Et inter illos oporteret etiam esse aliquos uiros politicos (nam ad illos quoque res pertinet) qui essent uiri prudentes, fideles & boni. Vt si uiueret adhuc uir integer & optimus Herr Hanns V. *Schwartzenberg, illi possent tutò res tantæ committi, aut similibus. Et satis esset, si uniuersi essent trecenti, singulari iudicio delecti uiri sapientes, & gerẽdis rebus apti, quæ sint salutares totis regionibus & magnis ciuitatibus.*

Quemadmodum primum Concilium, quod ex omnibus regnis & prouincijs, quas iam tenent Turca & noster Imperator, nõ plures habuit 318, & tamen 17 penè erant falsi fratres, tincti ueneno Arij. Alterum Constantinopolitanum, habuit 150. Tertium Ephesinum, 200. Quartum Chalcedonense, 630. qui numerus priores collectos penè æquat: & tamen illi 630 prorsus erant dißimiles patribus, qui Niceno & Constantinopolitano concilio interfuerant.

Nec

Nec uerò temerè omnes prouinciales causæ, quas nemo alioqui iudicare uult uel potest: aut alioqui inueterata, leuia, suspecta uel uana negotia corradenda essent, & obijcienda Concilijs. Imò oporteret adesse aliquem Constãtinum, qui omnes illas rixas, collectas in uno fasciculo, semel daret ignibus, & iuberet illas domi in prouincijs aut ciuitatibus iudicari & expediri: sed rem ipsam & caput caussæ iuberet proponi, ut quàm primùm certa ueritas inquireretur, & finis tandem fieret disputationum.

Hac ratione futurũ esset, ut Papæ hæresis, imò abominationum & superstitionum horrenda & terrifica moles per partes publicè legeretur: & liquidò cerneretur, quòd omnia essent audacißimè conficta, contra S. Petri articulum, & contra ueterem, ueram & catholicam fidem Ecclesiæ, quæ inde usq; à prima origine S. Petri articulum amplexa est. Mox igitur damnanda, & omnium piorum calculis abolenda, & eijcienda essent ex Ecclesia. Sed dicat aliquis: Nunquam tale Concilium sperandum est, aut somniandum in hac uita, inter tantas confusiones. Equidem & ipse sic cogito: atq; ita tamẽ sentio, quòd si quis tandem prudenter & aptè uelit disserere de istis rebus, aut seriò flagitare & optare Concilium, tum eiusmodi esse Concilium, quale descripsimus, optandum, aut prorsus

nihil optandum, & nullam omnino mentionem Concilij faciendam. Nam *tale fuit primum concilium* Nicenum, *& secundum Constantinopolitanum: quæ exempla meritò essent imitanda.* Et *ideo illa commemoro, ut summi* Monarchæ, *reges* et Imperatores, *cum sint Christiani, intelligãt sibi hoc officium incumbere iure & mandato diuino, ut congregent Concilium, ad liberandas multas myriadas animarum, quas* Papa *sua crudelitate, & metu Concilij (quantum in ipso est) miserabiliter perire sinit: cum omnes per unum Cõcilium, rursus ad articulũ* S. Petri, *& ad ueram, ueterem & Christianam fidem redire possent.* Iam *ita fit, ut in omni æternitate damnentur: quia non possunt habere hanc doctrinã* Petri, *cum de ea prorsus nihil audire uel uidere uelint.*

Ac ut maximè alij Monarchæ recusarent congregare Synodum generalem uel uniuersalem: tamen Imperator CAROLVS *& principes Germanici possent celebrare & indicere prouinciale* Conciliũ. *Ac ut maximè aliqui essent existimaturi exoriturum inde esse schisma: tamen quis sciret, an non, si nos faceremus nostrum officium, et gloriam* Dei *ac salutem animarum seriò quæreremus,* Deus *posset flectere & mutare aliorũ* Monarcharum *corda, ut paulatim ipsi quoq; huius Concilij sententiã probaturi & recepturi essent?*

Nam

Nam subitò fieri id non potest. Sin tota Germania receptura esset, tunc rumor etiam esset emanaturus in alias regiones, in quas sine tali celebri præcone (qualis est uox Concilij) quæ procul exaudiri potest, omnino non, aut certè difficulter potest emanare.

Sin omnino de Concilio desperandum est, committamus hoc iustißimo iudici, Deo uero, uiuo & æterno. Interea dabimus operam, ut parua Concilia & puerilia, id est, parrochiæ & scholæ conseruentur & conuocentur. Et ut quacunq; ratione illustretur, agitetur & conseruetur articulus S. Petri, contra omnes articulos, qui recens conficti & damnandi sunt: et contra omnia noua bona opera, quæ Papæ furoribus aucta, in omnes partes orbis terrarum, ceu immane diluuium exundarunt. Interea meipsum oblectabo, cum uidero puerilem pompam scholasticorum, die Gregorij, qui incedunt habitu Episcopi, & cogitabo quòd Deus tales personatos Episcopos faciat, & facturus sit ueros Episcopos. Econtrà quod illos qui nunc reuera debebãt esse Episcopi, Deus tantũ habet pro laruatis Episcopis & derisoribus suæ Ecclesiæ. ut Moyses dicit Deuteron. 32. Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in uanitatibus suis. Et ego prouocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo

bo illos. Non enim nunc primùm incipit reijcere Episcopos. nam grauissima & tristissima commi natio recitatur in Osæa propheta: Quia sciētiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Et factum est ita: & fit ita.

Hæc sufficiant de Concilijs. Nunc sub finem hu ius libri, etiam paucas quasdā & necessarias com monefactiones addemus de Ecclesia.

TERTIA PARS OPE- rís, de Ecclesía.

SICVT *de patribus et Concilijs uociferātur tribunicijs clamori bus et furoribus, nec sciūt quid sit patres uel Cōcilia, ac tantum uolūt nos figuris seu notis lite= rarum decipere & obtundere: ita simili furore e= tiam clamant de Ecclesia. Sed cum dicendum est quid sit, quæ sit, ubi sit Ecclesia Dei, non tantum haberent honoris Deo, uel Ecclesiæ, ut illa semel tantum uel ex alijs quærerent, uel apud se cogita= rent. Ipsi quidem utraq; manu plaudunt, & miri= ficè sibi hunc honorem gratulantur, cum audiunt sibi tribui gloriosissimum nomen Ecclesiæ: ut Pa= pa, Cardinales, Episcopi. Ita ut ipsi sub prætextu tam speciosi tituli, nihilominus essent organa Dia bolorum, ac nihil aliud quàm autores petulantiæ*

& scelerum nefariorum. Sed iam omissa uarietate testimoniorum, & diuisione uocabuli Ecclesiæ, *simpliciter enarrabimus doctrinam Catechismi, in quo dicitur:* Credo S. Ecclesiam Catholicã, *sanctorum communionem. Ibi expreßis uerbis declarat* Symbolũ, *quid sit* Ecclesia: *uidelicet communio sanctorum, id est, cœtus uel congregatio talium hominum, qui sunt sancti &* Christiani. *Hi uocantur* Christianus *& sanctus cœtus, uel in uernaculo* KIRCH. *Quanquam hoc uocabulũ* Kirch, *satis est angustum & obscurum, nec suppeditat mentem uel cogitationem, quæ ex uero intellectu huius articuli tanquã ex fonte hauriẽda est.*

Nam Actorum 19. Scriptura uocat Ecclesiam *communionem uel cœtum, qui conuenerat ad forum publicũ: & dicit,* Illa *poterunt expediri in ordinaria* Ecclesia. Item *cum hæc dixisset, dimisit* Ecclesiam. In *his et alijs locis,* Ecclesia *nihil aliud est quàm cœtus congregatus, etsi in tali cœtu multi erant ethnici non conuersi. Sicut senatores uocant suam* Ecclesiam, *id est suos subditos in curiã. Iam constat in mundo esse innumeras nationes: sed* Christiani *sunt peculiariter uocatus populus: nec solum uocãtur* Ecclesiá, *uel (si uelis Germanice dicere)* Kirchen, oder volck: *sed uocantur sancta catholica* Christiana Ecclesia, *quæ credit in* Christum. Ideo *uocatur populus* Christianus, *& habet*

habet Spiritum ſanctum, qui ſanctificat eos quotidie, non tantum per remiſſionem peccatorum, quam Christus ipſe meruit, ut delirāt Antinomi, ſed etiam per abolitionem, repurgationē & mortificationem peccati. inde uocantur ſanctus populus. Iam igitur ſi dicas, ſancta Christiana Eccleſia, perinde eſt ac ſi dicas, populus Christianus et ſanctus, aut (ut ſolet dici) Sancta Eccleſia. Item tota Eccleſia, in ueteri Teſtamēto uocatur Populus Dei ſanctus.

Et ſi in puerili doctrina Catechiſmi fuiſſemus uſi tali forma, Credo eſſe Christianum & ſanctum populum Dei: tunc facillimè potuiſſent uitari omnes confuſiones, & digladiationes, quas uocabuli obſcuritas in Eccleſiam inuexit. Nam hæc loquendi forma, Christianus ſanctus populus, euidentiſſimè & clariſſimè oſtendiſſet uerum intellectum rei, & diiudicationē, qua uera Dei Eccleſia à non uera diſcernenda eſt. Si quis enim audiuiſſet hæc uerba, Christianus ſanctus populus, mox potuiſſet iudicare: Papa non eſt populus, multo minus Christianus ſanctus populus. Sic etiam Epiſcopi, Canonici, Monachi, non ſunt ſanctus & Christianus populus Dei, quia non credunt Christo, nec faciunt opera ſancta: ſed ſunt propria mancipia, organa & peculium Diaboli. Nam qui non firma fide Christum amplectitur, is non eſt Christianus.

nus. Non igitur possunt esse sancta & catholica Ecclesia Dei.

Sed quia hoc peregrino uocabulo Kirch utimur in cõmuni forma Catechismi, statim uulgus ineruditum imaginatur aliquam magnam molem constructam ex lapidibus, quæ uocatur templũ. aut cum uolunt uti imagine maximè accommoda, pingunt Apostolos, & eorum discipulos & matrem Christi, ut in festo Pentecostes, & Spiritum sanctum supernè uagantem in nubibus. Hoc non perinde est absurdum, nisi quòd tantum est unius temporis, & sanctam catholicam Ecclesiam repræsentat. Sed Ecclesia propriè uocari debet sancta catholica Ecclesia, non illa tantum quæ uixit temporibus Apostolorum, qui iamdudum sunt mortui: sed illa etiam, quæ est duratura usq; ad finem mundi. Ita ut omnibus temporibus in terris, in hac uita, sit sancta catholica Ecclesia, in qua Christus uiuat, sit efficax & regnet per redemptionem, per gratiam & remißionem peccatorũ. Et Spiritus sanctus operetur per uiuificationẽ & sanctificationẽ, per quotidianã mortificationem peccatorum, & inchoationem nouæ obedientiæ, ne uidelicet perseueremus in peccatis: sed ut nouam uitam inchoare poßimus in bonis operibus omnis generis (non in prioribus malis operibus) qualia exigunt decem præcepta, uel

dua

duæ tabulæ Moysi. Hæc est S. Pauli doctrina, ualde necessaria & digna consideratione. Verùm Papa cum suis utrumq;, uidelicet & nomen & picturam Ecclesiæ, tantum ad suam personam, et ad sua collegia scelerate transtulit sub prætextu uocabuli Ecclesia.

Attamen tribuunt ipsi sibi conuenientem titulum, etiam cum seipsos uocităt (saltem si rectè uolumus ista declarare, ut nomen conueniat rei) Ecclesiam uel Romanam, uel sacram. Nec tamē addunt (sicut nec possunt hoc facere) Catholica. Nam uocabulum Ecclesiæ significat per se populum: et ipsi sunt populus. Sicut Turcæ etiam sunt Ecclesia, id est populus. Ecclesia Romana significat gentem Romanā, & ipsi sunt tales. Et profectò magis etiam Romanizant, quàm olim fecerunt ethnici, Nero uel alij.

Ecclesia Romana sancta, significat sanctā et sacram Romanā gentē. Et tales sunt ipsi. nam ipsi longè sublimiorē sanctitatē iam olim simularunt, quàm est Christiana sanctitas, uel qualem habet sancta gēs Christiana. Nā ipsorū sanctitas est Romana sanctitas: Romanæ ecclesiæ, Romanæ gentis sanctitas. Et digni sunt qui uocentur sanctißimi, sacrosancti: ut Virgilius loquitur, Auri sacra fames, sacra hostia: & Plautus, Omnium sacerrimus. Nam nomē Christianæ sanctitatis adeò ipsis

est

est exosum, ut non poßint hoc audire: multo minus uocabulum, Christiana ecclesia, uel Christiana gens: idq; hanc ipsam ob causam, quòd Christiana ecclesia, Christiana sanctitas uulgaré nomen est, & res uulgaris seu usitata omnibus Ecclesijs & Christianis in toto terrarum orbe. Atq; hinc uocatur καθολικὸν. *Ipsi uerò hoc nomen ut uulgare fastidiunt, & pené pro nihilo ducunt: proq; illis aliam singularem, sublimiorem, meliorem sanctitatem excogitarunt, quæ debet uocari sanctitas* Romana, *et* Ecclesiæ Romanæ *sanctitas.* Nam *Christiana sanctitas, aut Christiani cœtus sanctitas hæc est: quando* Spiritus *sanctus operatur in hominibus fidem in Christum, & per eam illos sanctificat,* Act. 15. *id est, creat nouū cor, animam, corpus, opera & actiones nouas: & scribit præcepta* Dei *non in lapideas tabulas, sed in carnea corda.* 2. Cor. 3.

Exempli *caussa, ut crasse dicam:* In *prima tábula efficit ueram* Dei *agnitionem, ut corda Spiritu sancto illustrata, uera fide omnibus hæresibus resistant, omnes erroneas & blasphemas opiniones uincant, & sinceri ac firmi persistant in robore fidei, contra* Diabolos: *omni plerophoria confirmat mentes in agnitione uera* Dei, *retinet eas in assensione & inuocatione uera* Dei: *consolatur etiam desperabundas, afflictas & perterrefactas*

factas conscientias contra accusationes legis, minas terribiles peccati, ne prorsus succumbant, neue perhorrescant agones, cruciatus, mortem, supplicia, exilia, conspectum iræ, & formidines iudicij diuini: sed spe certa præsentiæ auxilijq; diuini erecti atq; cõfirmati, acerrimo & constantißimo animo opponant se furoribus diaboli, eumq; uincant. Sic etiam efficit in corde uerum timorẽ Dei, ueram & efficacem dilectionem, ne per securitatẽ contemnamus Deum, aut contrà miranda eius iudicia fremamus, aut irascamur: sed ad omnes euentus, quicunq; tandem sint, boni uel mali, simus parati, inuocemus Deum, commendemus nos ipsi, celebremus eum, agamus ei gratias, & debitum honorem præstemus. Hæc uocatur noua & sancta uita in potentijs animæ, iuxta primam tabulam. Vocantur etiam uirtutes theologicæ hi tres gradus, Fides, Spes, Dilectio. Et Spiritus sanctus qui talia nobis ex merito Christi donat, efficit & operatur hos motus in nobis. Ideo uocatur sanctificator, uel uiuificator. nam uetus Adam est mortificatus, nec potest sibi amplius indulgere. Et quidem oportet eum discere commonefactum uoce legis, quòd non poßit facere, & sit mortuus: alioqui talia de seipso per se non sciret.

In secunda tabula, & iuxta corpus etiam sanctificat Christianos, & efficit, ut spontè parenti-

bus & magistratibus obediant, honestè & humiliter se gerant, non iracundè, nõ cupidi uindictæ, non malicioſe: sed patienter, amãter, officioſe, fraternè, ſuauiter, & in prædulci charitate uiuant: non incesti, adulteri, immodesti: ſed casti, honesti, cum uxoribus, liberis et tota familia, uel ſine uxore liberis & familia. Ita *deinceps etiam non furari, non fœnerari, non auaros eſſe, aut nouis aucupijs opes parare, &c. ſed in aliqua honesta uocatione ſeruire, ſine fraude aut malis artibus uictitare, libenter dare accommodatò, inſeruire alijs, iuuare alios, quãtum omnino poteſt fieri. Sic etiã non mentiri, non defraũdare alios, nõ obtrectare alijs: ſed eſſe ueraces, eſſe fideles & constantes, & quicquid præterea in decem præceptis* Deus *à nobis exigit.* Hoc *efficit Spiritus ſanctus, qui ſanctificat & exuſcitat etiam corpus ad talẽ nouam uitam, donec tandem perficiatur in uita æterna.* Et *hoc uocatur* Chriſtiana *ſanctitas: & tales ſanctos oportet perpetuò eſſe in hac uita mortali, etiamſi tantum duo uel tres uiuerent, aut ſaltẽ pueri eſſent.* Ex adultiorib. *profectò pauci ſunt tales: & qui non ſunt tales, etiam nõ debent ſeipſos reputare pro* Chriſtianis. Imò *nulla eſt eis proponenda conſolatio, quaſi eſſent* Chriſtiani, *per longas cõciones de remiſsione peccatorum gratuita, & de diuitijs gratiæ, ut faciũt* Antinomi. Illi *enim*

posteaquam Decalogi doctrinā reijciunt, & nullo modo eam intelligunt, interea prolixè declamitant de gratia Christi: confirmant uerò in proposito peccandi eos qui manent in peccatis, ne metuant aut perhorrescant sua peccata, quasi omnia sint deleta & sublata per Christum. Et sunt ipsi spectatores multarum turpitudinū, ac permittūt licentiā peccandi impunè, & perseuerandi in manifestis flagitijs ac sceleribus sine omni renouatione, aut emendatione uitæ prioris. Inde animaduerti potest, quod nec fidei doctrinam, nec beneficia filij Dei rectè intelligunt, & eo ipso tollunt omnia eius beneficia, quod de ijs concionantur. Nam qua ratione rectè de effectibus Spiritus sancti in prima tabula, de uera & efficaci consolatione, de gratia, de remißione peccatorum loqui unquam poterit, qui effectus Spiritus sancti in secunda tabula nō curat, uel ignorat? quos ipse in suo corde sentire & experiri potest: illos uerò nec sensit, nec expertus est unquam? certißimum est igitur, quòd nec Christum, nec Spiritum sanctum habeāt uel intelligant: & omnes ipsorū sermones spumæ uerborū sunt, in labris tantū et lingua natæ. Et sicut dictū est, re & nomine sunt Nestorij et Eutyches, qui Christū confitentur et docent in substantia in antecedente, & negant tamē in consequente uel in idiomatis: id est, docent auditores

ditores

ditores de Christo, et prorsus silentio obruunt ac sepeliunt Christum eo ipso, quòd de Christo cōcionari uel docere uolunt.

Hæc dicta sint hactenus de Christiana sanctitate, quam superbißimè fastidit Papa: et requirit aliam peculiarem, quæ est sublimior & sanctior, nempe stolas, rasos uertices, cucullos, uestes, cibos, festa, dies peculiares, monachatus, nonnatus cultus sanctorum, & sexcenta alia atq; innumerabilia portenta traditionum de externis, corporalibus et caducis rebus. Etiamsi quis interea uiuat sine fide, sine timore Dei, sine spe, sine dilectione, & quicquid talium uirtutū efficit in corde Spiritus sanctus iuxta primam tabulam: pro illis efficiunt ipsi falsam fidem, corda incerta, dubitationes, contemptum Dei, impatientiam et fremitum contra Deum, falsam fiduciam operum, id est idololatricos cultus. Prohibent item conscientijs, confidere in gratiam Christi, et comminiscuntur spontaneas satisfactiones, quibus ipsi satisfaciunt pro suis peccatis: & alijs postea uendunt opera supererogationis, & mundi opes per fraudem & imposturas ad se rapiunt, quasi iustißimū sit pro hac merce talia reponi præmia. Hæc omnia nihil impediūt illam Seraphicā & Cherubicā sanctitatē, quā ipsi audacißimè iactitant, quasi sit sanctior, quàm est tota Christiana sanctitas.

Ita in secunda tabula nihil detrahitur illi sanctitati, etiam cum docent obedientiã filiorum erga parentes, & subditorũ erga superiores, ipsiq; sunt parricidæ & sanguinarij crudelißimi: indicunt iniusta bella, armant Monarchas, incendunt mutua odia, onerant innocentes iniusta inuidia, concedunt licentiam impunè scortandi, incestas consuetudines, & horribili furore fingunt tetra mendacia, furantur, exercent usuras, defraudant alios perfidiose, et omnis generis scelera audacißimè & impudentißimè defendunt. Tantum inijcito cucullum aut uestem lineam capiti, tunc es sanctus, iuxta Romanam sanctitatem: bene potes saluari, sine Christiana sanctitate. Sed nihil nobis est negotij cum pollutißimis & contaminatißimis hominibus, quia in ijs conuertendis oleum & opera perditur. Venit enim ira Dei super eos in finem: ut sanctus Paulus dicit. Colloquamur ergo ipsi de Ecclesia inter nos. Catechismus docet nos (ut dictum est) quòd sit sancta & Christiana gens in hac uita, & mansura sit usq; ad finẽ mundi: quia est articulus fidei, qui non potest cessare, donec impleatur hoc quod credit, sicut promittit filius Dei: Ego sum uobiscum usq; ad consummationem seculi.

Quæ uerò sunt signa, ex quibus debet iudicare mens errabunda & perturbata, quæ & ubi sit

in mundo sancta catholica Ecclesia Dei? Oportet enim omnino in hac mortali uita, & in hoc uisibili mundo esse talem cœtũ. Credit enim pia mens, quòd cœlestis conuersatio & uita sequutura sit post hanc uitam: sed nondum est in possesione. Oportet ergo in hac uita, & in hoc uisibili mundo esse talem cœtum, & manere usq; ad finem: quia dicitur in Symbolo, Credo aliam uitam post hanc uitam, uitam scilicet futuri seculi. Quibus uerbis pia mens fatetur, quòd nondum re ipsa sit in illa uita, sed eam uera fide & spe expectat, & uero affectu eam amat ceu ueram patriam et ueram uitam. Interea in hac uita est subiecta ærumnis & cruci, ut canitur in hymno Germanico de Spiritu sancto: wann wir heimfaren auß diesem elende. id est, Cum ex miserijs præsentis uitæ rapimur ad cœlestem cõsuetudinem, & ad æterna gaudia. De re tanta nobis hic dicendum est.

Primùm sancta catholica Ecclesia Dei ex hoc signo agnoscenda est, & iudicanda. Vbicunq; sonat uera & incorrupta uox Euangelij, de filio mediatore, et de omnibus beneficijs ipsius, quanquam illud se habet dißimiliter, ut S. Paulus dicit. Aliqui enim prorsus sunt sine errore, apud alios aliquid est admixtum erroris. Ii qui nihil habent errorum, sunt qui aurum, argentũ, gemmas preciosas ædificant super fundamentum. Qui ha-

bent errores, ij sunt, qui fœnũ, stipulas, ligna ædificant super fundamentum. Et tamen saluantur per ignẽ. Qua de re etiã suprà dictũ est copiose.

Hic est neruus & caput negotij, & sanctum sanctorum, à quo Ecclesia Catholica nominatur sancta. Nam uerbum Dei est sanctum, & sanctificat omnia quæ fert: imò est ipsa sanctitas & maiestas æterni & inconspicui Dei. Rom. 1. Potentia Dei est, ad salutem omni credenti. Et 2. Timoth. 4. Sanctificantur omnia per uerbum & orationem. Nam Spiritus sanctus ducit ipse, ac ungit uel sanctificat Ecclesiam, id est Christianum & sanctum populum, uerbo & oratione: non chrismate Papæ, quo ipse digitos, uestes, tunicas, calicem & lapides inungit uel sanctificat. Nam illæ res inanimatæ nunquam adeò erunt efficaces, ut mens inde proficiat in Dilectione Dei, in fide, celebratione Dei, & morum honestate. Possunt hæc utcunque ornare illam infirmam & putidam massam corporis: tandem tamẽ lacerantur & computrescunt unà, & cum illo toto cumulo sanctitatis, & quicquid præterea est talium fatuitatum, quæ omnia intereunt cum illa caduca & fragillima massa quæ uocatur corpus.

Sed hoc est uerum sanctum chrisma, quo nos ungit Deus ad uitam æternam: etiamsi non potes adipisci coronam Papæ, aut galerum Cardinalitium,

tium, ſed nudus mori & uiuere cogeris: ſicut infantuli (& nos omnes) ſine ornatu aut habitu ullo baptizamur. Loquimur uerò *de uerbo uocali, quod per hominem, per te & me ſonat in miniſterio publico.* Nam *Chriſtus aſcendens in cœlos, reliquit uerbum uocale in terris, tanquam notam ſeu ſignum externũ, ex quo uult agnoſci ſuã* Eccleſiam, *quæ eſt illa præclara, electa & ſancta hæreditas, quam excerpit ſibi filius* Dei *ex toto genere humano.* Præterea *docemus, hoc uerbũ uocale uera fide amplectendũ eſſe, & in caſu confeßionis palàm profitendum coram toto mundo, ſicut inquit filius* Dei: *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, cõfitebor illum coram patre meo & angelis eius.* Magna *eſt enim multitudo taliũ hominum, qui ſunt rectè inſtituti in doctrina, & eam intelligunt: ſed nolunt eam palàm confiteri.* Multi *audiunt* Euangelium, *habent uerbum, ſed non amplectuntur fide, nec uiuunt iuxta uerbum. Quia pauci ſunt tales, qui uerè credant uerbo, aut ad illud tanquam ad normam, uitam & actiones ſuas uelint dirigere: ut parabola de ſemine loquitur,* Mat.13. *quod tria quidem iugera agri occupet, ſed tantum quarta pars ſit fœcunda: in illis uidelicet, qui in corde honeſto & optimo, cuſtodiũt uerbum, & fructum ferunt per patientiam.*

Vbicunq; igitur incidis in talem cœtũ, in quo

 conſpicitur

conspicitur uel auditur uox uerbi puri, & qui uerbum discit, fide amplectitur, & profitetur contra diabolos & tyrannos, & totam uitam ad illius præscriptum instruit: ibi prorsus nihil dubita, quin uerißimè & neceßariò Dei æterni & uiui ibi sit Ecclesia sancta Catholica, etiãsi sint ualde pauci. Nam uerbum Dei non euanescit in tenues auras. Esa. 55. Sed ad minimum quartam partem, aut saltem unam partem agri lucrifacit. Et si nullum aliud signum posset conspici, præter illud unicum, tamen satis esset hoc ad conuincendos animos, quòd ibi sit Ecclesia sancta Catholica: Quia uerbum Dei non potest esse extra Ecclesiam, & sine Ecclesia. Sicut uicißim etiam Ecclesia non potest esse sine uerbo. Quis enim alioqui uellet subire labores in ministerio docendi uel audiendi conciones, nisi esset cœtus? Et quid posset aut uellet credere populus Dei, si uerbum non adesset?

Et hæc est illa pars boni agri, quæ facit miracula omnis generis, omnia rectificat, omnia cõseruat, omnis generis diabolos eijcit: ut sunt peregrinationum diaboli, indulgentiarum diaboli, bullati diaboli, fraternitatum diaboli, sanctorum diaboli, missarum diaboli, purgatorij diaboli, monasteriorum diaboli, Papistarum diaboli, sectarum diaboli: item seditionum, Hæreticorum, Pontificum, & Antinomorum diaboli: non tamen sine clamo-

ribus

ribus & cruciatibus, quales ostendit diabolus in illo miserrimo homine Marci 1. & 9. Non fit hoc sine significatione doloris, fremitus & cruciatuū. Vt uidere est in Emsero, Eccio, Cocleario, Fabro, Vuitzelio, Trunco, caudice, stipite, porcis, asinis, et similibus clamatoribus & scriptoribus, qui omnes sunt bucca, clasſicum & organa diabolorum. per quæ Diabolus ebuccinat suos horribiles et Satanicos furores, & miseras conscientias affligit. Nihilo minus tamen tandem cogitur cedere, quia non potest sustinere uirtutem & potentiam uerbi Dei. Nam ipsi fatentur hanc esse diuinam & cœlestem ueritatem, & ipsisſima testimonia scripturæ sanctæ. Et tamen dicunt illa melius posse iudicari ex concilijs & patribus, quos omnes omitto. Satis est, nos scire quomodo Deus æternus, et uerus, purget, sustentet, nutriat, confirmet & defendat Ecclesiā: ut S. Augustinus inquit. Ecclesia uerbo Dei generatur, alitur, nutritur, roboratur. Quales uerò sint illi, qui uerbum acerbisſimo & immanisſimo odio persequuntur & condemnāt: hi possunt agnosci ex suis fructibus.

Secundò agnosci potest populus Dei, uel sancta Catholica Ecclesia, ex uenerabilisſimo sacramento Baptismi, ubicunq; ille iuxta institutionem & mandatum filij Dei rectè & legitimè docetur, creditur, & administratur. Nam hoc quoq; est manifestum

nifestum signum. Hoc est illud diuinum, & uenerationem dignißimum sanctuarium, per quod sanctificatur populus Dei. Nam hoc est illud sanctißimum lauacrū regenerationis, per Spiritum sanctum, in quo lauamur, & à Spiritu sancto abluimur à peccatis & æterna morte, precioso sanguine illius innocentißimi agni, qui est agnus Dei. Vbicunq; igitur apparent, et certò conspiciuntur hæc signa, nihil debes dubitare, quin uerißimè sit ibi sancta Dei Ecclesia catholica. Nec propterea tuam conscientiam in discrimen adducere uelis, etiam cum Papa te non baptizat, aut etiam cum sanctitatem & potentiam ipsius ignoras: sicut recens editi infantes ista ignorant, nisi quando adoleuerunt: postea proh dolor statim à uero usu baptismi abducuntur, ut S. Petrus queritur, 2. Pet. 2. Pelliciūt in desiderijs carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, &c. Imò ne illud quidem anxiè quærendum est, quis sit minister baptizans: quia baptismus non est ministri baptizantis, neq; est illi traditus: sed illius qui baptizatur, propter quem & à Deo est institutus, & traditus Ecclesiæ. Sicut uerbum Dei non est concionatoris (nisi quatenus ipse etiam audit, & fide amplectitur) sed discipuli uel auditoris, qui fide amplectitur doctrinam quam audit, illi est traditum.

Tertiò agnosci potest populus Dei, uel sancta

catholica Ecclesia, *ex uenerabilißimo* Sacramen*to cœnæ* Dominicæ, *cum rectè iuxta institutionē Christi usurpatur, creditur & accipitur.* Nam & *illud est manifestum signum & sigillum, quod reliquit* Christus Ecclesiæ, *ascendens ad patrem, per quod sanctificatur* Ecclesia, *quo exercetur et palàm profitetur, quòd sit electa & sancta Dei hæreditas: sicut hoc fine etiam utitur uerbo & Sacramentis.* Nec hic est, *quod tuam conscientiam affligat uel cruciet, etiam cum* Papa *pro te non celebrat missam, te consecrat applicata confirmatione uel unctione, aut induat tibi casulam, &c.* Tu *potes ipse, sine omni uestitu aut apparatu sumere (sicut in lecto sumit decumbēs ægrotus) nisi quòd externa disciplina cogit homines, ut se honestè gerant.*

Nec *est quòd quæras, an habeas rasum uerticē, an sis chrismatizatus?* Multo *minus disputare debes, an sis mulier uel uir, an sis iuuenis uel adultus: sicut de illis etiam non quæris, cum in prima infantia ad baptismum afferendus es, aut cum ad sacras conciones uis accedere. Satis abundè est, te esse unctum & chrismatizatum illo nobilißimo & sanctißimo chrismate* Dei, *uerbo* Dei, *& uenerabili sacramento baptismi & cœnæ* Dominicæ: *tunc es fragrantißimis & nobilißimis unguētis perfusus, & ornatu sacerdotali splendidè uestitus.*

Deniq;

Denique parum refert, quantum alios præcellat dignitate, uel sanctitate, & an sit digamus uel non, qui tibi ministrat Sacramentum. Non enim est illius proprium, qui tibi ministrat, sed cui ministratur: nisi quòd cum ille etiam unà sumit, tunc etiam est ex numero sumentium, & illo usu ipsi quoq; traditur. Cum igitur uides hæc Sacramenta ministrari uero & legitimo modo, firmissimè statuito ibi esse populum Dei. Nam (ut suprà dictum est de uerbo uocali) ubicunque sonat uerbum Dei, ibi necesse est esse Ecclesiam. Sic etiam, ubi Baptismus & cœna Domini sunt in uero usu, ibi necesse est esse Ecclesiam: & econtrà, ibi non esse, ubi desunt hæc. Nam has tantas res uerè nemo habet, ministrat, exercet, nemo usurpat uel profitetur, præter unicum illum cœtum qui est populus Dei, etiam cum aliqui pseudochristiani & infideles clàm sunt admixti illi cœtui. Sed hi non possunt profanare hunc cœtum sanctum, præsertim cum sint clandestini. Nam eos qui manifestè contradicunt, non tolerat Ecclesia, uel populus Dei: sed taxat & castigat, & post castigationem eos etiam sanctificat: aut cum nolunt resipiscere, eijcit eos ex Ecclesia uerbo & excommunicatione, ne fiant participes sanctißimi mysterij, & habet eos pro Ethnicis: Math. 18.

Quartò: Agnoscitur populus Dei, uel Sancta

catholica

catholica Ecclesia, ex usu clauium, quibus utitur in publico ministerio: hoc est (ut Christus Math. 18. declarat, cum delinquit aliquis Christianus, debet argui uoce legis. Et si nondum aliqua spes est emendationis, debet uinciri & eijci ex Ecclesia: Sin uerò emendat se, tunc est absoluendus. Hæ sunt claues.

Vsus uerò clauium duplex est: Priuatus & publicus. Aliqui enim tam habent trepidas & teneras conscientias, ut etiam cum non sunt damnati in publico, tamen ægrè uel alienam consolationē admittant, uel seipsos consolari poßint, donec priuatim applicetur eis absolutio. Aliqui etiam adeò sunt contumaces, ut neq; ipsi apud sese, neq; apud pastorem in priuata confeßione uelint alijs condonare errata, aut ipsi desistere à notorijs criminibus. Itaq; usum clauiū oportet conseruari in Ecclesia, in utrumq; modum, publicum & priuatū. Cum igitur uides remitti uel reprehendi peccata in aliquibus personis publicè uel priuatim, nihil dubites ibi esse populum Dei. Nam ubi non est populus Dei, ibi non est usus clauium. Et ubi non sunt claues, ibi non est populus Dei. Nam Christus ideò eas reliquit Ecclesiæ in ultima ualedictione, ut essent quasi publica nota & tanquam sigillum Ecclesiæ, per quod Spiritus sanctus (beneficio meriti Christi) peccatores lapsos iterum

sanctificat,

sanctificat. Et ut Christiani his ipsis signis & testimonijs faterentur, quòd essent sanctus populus, sancta gens uisibilis, cuius caput sit Christus inuisibilis in hoc mundo. Et qui nolunt conuerti, aut rursus sanctificari, ut illi eijciantur ex tali sancto populo: id est, ligentur & per clauem eijciantur. Id quod impœnitentibus Antinomis aliquando accidet.

Sed ne hic quidem anxiè tibi quærendum est de duabus clauibus Papæ, quas ipse fabrefecit, ut essent instructæ ad reserandos omnes omnium regum thesauros & æraria. Etiamsi enim ipse non uult ligare aut taxare peccata uel priuata uel publica (sicut etiam non facit) tu tamen statuito, in tua Ecclesia ea esse ligata & redarguta. Nam ipsius reseruare aut ligare, laxare uel condonare, nec profanare te potest, neq; sanctificare: cum ipse non ueras, sed tantum adulterinas claues habeat. Non enim Papæ claues sunt (ut ipse palàm mentitur) sed Ecclesiæ: id est, illius populi, qui est populus Christi, populus Dei, uel Sanctæ catholicæ Ecclesiæ Dei, quàm latè se extendunt fines orbis terrarum, aut ubicunq; sunt Christiani: quia impoßibile est omnes & uniuersos homines Romæ esse, nisi prius totus orbis terrarũ concludatur intra mœnia urbis Romæ: quod quidem haud opinor futurum esse. Sicut baptismus, cœna

Domini,

Domini,uerbũ Dei, non Papæ ſunt:ſed Eccleſiæ, quæ eſt populus Dei. Sic uocantur claues Eccleſiæ,non claues Papæ.

Quinto: Inde etiam cognoſcitur Eccleſia, loquendo de ſigno externo, quòd miniſtros Eccleſia cõſecrat, uel uocat:uel habet præfecturas,quibus debet curare paſtores.quia neceſſe eſt habere Epiſcopos, id eſt paſtores,concionatores, qui publicè & priuatim hæc quatuor bona,uerbum,baptiſmum,ſacramentum,abſolutionem,impertiãt, adminiſtrent, & in continuò uſu conſeruare ſtudeant,propter Eccleſiam,et nomine Eccleſiæ,ſed multo magis ex inſtitutione Chriſti. Sicut S. Paulus dicit Epheſ.4. Aſcendit in altũ,dans dona hominibus, alios quidem Prophetas, alios Apoſtolos,alios Euangeliſtas,alios doctores,alios gubernatores, &c. Quia totus cœtus non poteſt ſimul præeſſe, ſed oportet eſſe certas perſonas,quibus cura gubernationis Eccleſiaſticæ commendetur. Qualis enim alioqui eſſet futura confuſio, ſi uellent omnes ſine diſcrimine, quaſi Nomades,proclamare in medium.Omnes uellent ſua ſomnia et ſuas opiniones adorari, tanquam Seraphica & Cherubica myſteria:& nemo uellet cedere alij,ut in tragœdia dicitur,

Νόμαδες ἀκούει οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενός.

Oportet igitur hanc prouinciam uni alicui de-

t mandari,

ueri Apostoli, Euangelistæ et Prophetæ concionantur ex uerbo Dei, non contra uerbum Dei.

Iam cum Apostoli, Euangelistæ & Prophetæ desierint, oportet nunc alios in ipsorũ locum succedere, & deinceps etiam usque ad finem mundi. Nam Ecclesia non cessabit usq; ad finem mundi. Oportet igitur Apostolos, Euangelistas, Prophetas durare, quocunque nomine uocari debent uel possunt, qui uerbum Dei, et testimonia uel miracula proposita propter uerbum aßiduè inculcent auditoribus. Nam Papam cum suis socijs, qui uerbum Dei persequuntur horribili odio, cum oporteat ipsos fateri quod sit uerũ, profectò dixerim nihil minus esse quàm Apostolos, Euangelistas, Prophetas: sed omnino tales, qualis est diabolus cum suis angelis. Sed iterũ sum delapsus ad illam turpißimam & inquinatißimã colluuiem & sentinam Papæ: iterum dimittamus eos, & mandemus ne reuertantur deinceps: Quos ego, &c.

Sicut igitur suprà diximus de cæteris quatuor partibus illius eximij & planè diuini ministerij, per quod sancta Ecclesia sanctificatur, non tibi quærendum esse, qui & quales isti sint, à quibus illa accipiuntur: ita ne hoc quidem curiose scrutaberis, qui & qualis ille sit, qui tibi impertiat, uel ministerio fungitur. Nam omnia sunt tradita non illi qui tenet, sed cui impertiuntur illius ministerio:

rio:nisi quòd simul etiam ipse sibi ex officio ministrare potest, cum uult. Liceat illi per te qualis uult esse, & qualis potest esse, cum sit in officio, et à cœtu toleretur: tu quoq; nihil agas priuato affectu, uel priuata cupiditate. Persona ministri nō potest uerbum Dei, & sacramenta facere uel digniora, uel deteriora: quia nō sunt eius propria, quæ dicit, uel facit. Sed Christus loquitur, Christus est efficax, & sanctus Spiritus per ipsum dicit & facit omnia, quoad ipse retinet unam certam & legitimā formam docendi & administrandi sacramenta. Nisi quòd Ecclesia nō debet tolerare, nec potest tolerare enormia et manifesta uitia. Tu uerò ut homo priuatus, sis quietus, & nihil facito curiose, cum solus non poßis esse totus cœtus uel sancta catholica Ecclesia Dei. Sed Papam nō est quod moreris, qui prohibet ne ullus maritus ad hoc ministerium poßit uocari: sed omnes debent esse castæ Vestales, ex Nestoriana cōsequentia. Hoc tantundem est ac si dicerem, Omnes sacerdotes debent esse casti: sed illi ipsi ex licentia Papæ possunt esse incesti & impuri. Sed ecce rursus nunc introducis mihi Papam, cum antea prohibuerim. Age igitur, ut malè ueneris, ita te etiam excipiam, more Lutherano.

Papa execratur uitam coniugalem Episcoporum uel sacerdotum: id satis constat. Hac prohibi

tione tam crudeli & tyrannica, nondũ eijcere aut extrudere bilem poteſt, ſed multo durius adhuc execratur Digamiam: & ut apertè dicam quod ſentio, facit quatuor genera digamorum, uel quinque potius. Vocabo enim hoc loco digamum, qui mortua priore coniuge aliam ducit, uel uirginẽ, uel uiduam. Primùm digamus eſt, qui duas uirgines duabus uicibus ducit. Secundò, qui alterius uiduam relictam ducit. Tertiò, qui ſponſam ducit à mortuo ſponſo relictam. Quartus aliquanto reliquis eſt infœlicior, qui etiam uocatur Digamus, hanc ob cauſſam, quòd nec ſciens nec uolens uirginem ducit, quam poſtea experitur non eſſe uirginẽ. Sed nolit uelit, iudicio Papæ cogitur eſſe δίγαμος*: et multo magis quàm ille tertius, qui ſponſam relictam à mortuo ſponſo duxit uirginẽ. Omnes illi ſordent & graue olent in iure Canonico. Non conceditur eis facultas cõcionandi, baptizandi, adminiſtrandi cœnam Domini, aut ullum miniſterium exercendi in Eccleſia: etiam ſi alioqui eſſent ſanctiores Ioanne baptiſta, & ipſorum uxores caſtiores & puriores quàm ipſa mater Chriſti. Adeò præcellit & eminet ſanctitas Papæ in ipſius Decretalibus.*

Verùm ſi aliquis uitiaſſet centum uirgines, aut centum honeſtis uiduis intuliſſet ſtuprum, & adhuc centum putida et fœtida ſcorta recumberent

post ipsius tergum: is non tantum posset eligi in cõcionatorem uel pastorem, uerùm etiam episcopum uel Papam. Ac etiamsi tum faceret, cum iam esset in officio, tamen ipsum essent toleraturi. Sed cum ducit puram uirginem, aut stupratam, non potest esse minister Dei, nihil prodest ei, etiã cum est bonus Christianus, eruditus, honestus, cuius esse usus in gubernatione potest. Est digamus, inquiunt. Oportet eum remoueri ab officio, & nunquã rursus ad id admitti. Quid uidetur tibi? Nónne hæc est sublimior & dignior sanctitas, quàm est ipsius filij Dei, unà cum Spiritu sancto & Ecclesia sua? Christus nõ reijcit uiros monogamos, uel digamos, saltem si habeant fidem: sed permittit eis, ut sint uera & uiua membra suæ catholicæ Ecclesiæ: & utitur ijs ad functiones, ad quas sunt idoneæ, uel quæ non sint supra uires. Quanquam ex usitata φράσει scripturæ uocatur digamus, qui eodem tempore habet duas uiuas coniuges. Talis fuit Lamech. Sed Papa pro sua eruditione excellenti uocat digamum, qui duabus uicibus duas uxores accipit. Sic etiam de mulieribus iudicat: quia sapientia et doctrina antecellit ipsi Deo conditori suo.

Et quod adhuc est pulchrius, Papa fatetur ipse, quod Digami coniugium sit legitimum, nec peccet contra Deum, contra ullam Ecclesiæ uel poli

sticam ordinationem, & quod illud coniugium sit sacramentum Ecclesiæ: & tamen oportet eum semotum esse à ministerio Ecclesiastico, etiam illos qui sunt ex tertio et quarto genere Digamorum, qui tamen meritò uocandi erant Monogami, uel uirginum mariti. Qua ratione? Illud deest, quòd tale coniugium non potest esse sacramentum, uel typus Christi & Ecclesiæ. Nam Christus tantum habet unicam sponsam Ecclesiam, & sponsa tantum unicum maritum Christum, & utriq; manēt uirgines. In hac collatione tam multæ sunt absurditates uel fatuitates, ut nemini liceat omnes recitare. Et Canonistæ meritò sunt uocandi Asinistæ. Primùm enim, si coniugium debet esse sacramentum Christi & Ecclesiæ, tunc nullum coniugium erit Sacramentum, nisi tantum illorum qui sponsi & sponsæ etiā in coniugio manent uirgines. Nam Christus & Ecclesia manēt uirgines. Vnde igitur nos suscipiemus liberos & hæredes? Vbi manebit coniugium à Deo institutum & approbatum? Et in summa, nullum erit coniugij exemplum appellandum in toto genere humano, quàm Mariæ, Iosephi, & similium. Cætera omnia nullo modo erūt Sacramenta: & fortaßis aliqui audacißimè ea uituperabunt tanquàm contubernia, qualia sunt in lenocinijs.

Secūdò, quæro illud: Quis unquam docuit, uel

mandauit hoc,ut cogamur ista credere? S.Paulus Ephes.4. dicit (inquiunt) quòd maritus et uxor sint sacramentum magnum. Statim subijcit Paulus:Verum est, in Christo & Ecclesia.Quæso te, potes tu mihi ex his uerbis Pauli elicere rationẽ ullam sacramenti? sicut ipsi loquuntur de sacramentis. Dicit hoc esse magnum mysterium,quòd maritus & uxor sint unum corpus. Postea interpretatur ipse se, cum ait:De Christo & Ecclesia dico,non de uiro et muliere.Paulus uult, Christum & Ecclesiam haberi pro magno sacramento uel mysterio. Econtrà dicunt ipsi,maritum & uxorem esse magnum mysterium. Quare igitur ipsi legitima coniugia habent penè pro nihilo, imò pro meris sordibus,& mera immundicie uel contaminatione, in qua homo non poßit seruire Deo? Dicam amplius quiddã,Potes ne tu hãc sententiam ex his uerbis Pauli extorquere, quòd cõiugia Monogamorum & digamorum Paulo hic non sint maritus & uxor,uel unum corpus? Si unum corpus, cur non etiam sunt Sacramenta Christi & Ecclesiæ?Tamen S.Paulus loquitur in genere de omnibus maritis & uxoribus, quæ fiunt unum corpus, siue sint solutæ,siue uiduæ: & uocat eos sacramenta in ea significatione,qua uos nominatis Sacramenta.Vnde igitur uobis illa spiritualis & sublimis sapientia, quòd facitis discrimina

coniugiorum: & tantum hanc unicam speciem coniugij pro sacramento habetis Christi & Ecclesiæ, qua uir se desponsat uirgini, & omnia alia coniugia excluditis. Cuius autoritate uel mandato uos S. Pauli uerba tam ueteratorie & scelerate corrūpitis, & ad uestra deliramenta detorquetis?

Præterea ne illa quidem coniugia conceditis esse Sacramenta. nam sponsi non patiuntur sponsas suas manere uirgines: nec uirgines propterea nubunt, quod uelint manere uirgines, quia hoc multo possunt commodius facere extra coniugiū. Sed muliebria corpora hoc fine sunt condita sapientia conditoris, ut gignant, foueant & nutriāt liberos. Vbi hic manet Sacramentum Christi & Ecclesiæ, ubi utriq; manent uirgines? adeó ne est bellum, arguere à figura ad historiam, uel contrà ab historia ad figuram? A' quo præceptore didicistis hanc Dialecticam? Christus & Ecclesia sunt coniuges, & corporaliter manent uirgines: ergo uir & mulier etiam corporaliter debēt manere uirgines? Item, Christus tantum habet desponsatam unicam sponsam: ergo Christianus, uel sacerdos etiam, tantum habere debet unicam sponsam, uirginem: alioqui non est Sacramentum? Quare igitur conceditis, & affirmatis, coniugia uiduarum etiam esse Sacramentum: cum quidem coniugium, sed tamen sacramentum esse non poßit, quia

uxor

uxor non fuerit uirgo? An non estis amentes, furiosi & insulsissimi Nestorij, qui non scitis quid sit ita, uel non? Aliud dicitis in antecedente, aliud in consequente. Apagete ἐς κόρακας uos crassissimi asini, καὶ μῶροι τρισμέγιστοι.

Traxit etiam inde suam originem hic error (nisi prior ille ex hoc sit ortus) quòd Episcopi et Pontifices se sponsos Ecclesiæ nominarunt & crediderunt. Atque huc detorquent dictum S. Pauli, quòd Episcopus sit unius uxoris maritus: id est, unius Ecclesiæ episcopus, sicut Christus est sponsus unius Ecclesiæ. Non igitur debent esse Digami. Eia uerò boni uiri sunt Papa & pontifices, & omnium suffragijs digni, qui sponsi sint Ecclesiæ. Credo equidem, si esset lena, aut cacodæmonis filia ex antro infernali. Veri Episcopi sunt ministri huius Ecclesiæ, & ipsa est domina & ducissa imperans ministris. S. Paulus nominat ipse se διάκονον, id est ministrum Ecclesiæ: non uult esse sponsus, aut dominus huius sponsæ. Sed filius Dei dominus noster IESVS CHRISTVS est nomen ueri & unici sponsi, cui est desponsata Ecclesia. Sanctus Ioannes nõ dicit, Ego sum spõsus: sed dicit se esse amicum sponsi, séq; effusissimè & sincerissimè lætari ipsius sermonibus & colloquijs. Nam qui habet sponsam (inquit) ille est sponsus, illius sermones & colloquia omnes debent audi-

re cum gaudio & gratulatione, & me illi, ut ministrum, obsequi par est. Sed quàm sunt intenti in hanc ipsam tam crassam & asininam fatuitatem? Vnus Episcopus nonnunquam habet tres Episcopatus uel diœceses, & tamen uocatur unius uxoris maritus; et etiam cum habet tantum unum Episcopatum, tamen interdum habet centum, ducentas, quingentas parrochias, aut etiam plures, & uocatur tamen sponsus unius Ecclesiæ. Papa uult omnium ecclesiarum, magnarum & paruarum, sponsus esse, & tamen uocatur unius Ecclesiæ maritus. Hi non sunt digami, qui simul & semel habent plures sponsas: sed qui sponsam ducit, quæ alteri fuit desposata, ille est digamus. Tam insulsas & ineptissimas nænias recipit mens humana: ita permittente Deo, cum à uerbo discedimus, & omnia limatius & subtilius scrutamur, quàm ipse uult nos scrutari.

Imò ipsi habent Acutium in suis Decretis, ubi S. Augustinus sentit contra S. Hieronymum, quòd ille qui ante baptismum habuit unam coniugem, & post baptismum aliam, sit digamus. Eia uerò boni uiri, hoc scilicet sequitur, quod S. Augustinus, etiamsi sentiat hunc esse digamum (quod scriptura tamen non facit) uelit etiam hunc ita esse damnatum: quasi Deo non posit seruire, sicut uos facitis. Ac etiam si illud inde sequeretur, non'ne habe

tis

tis Dist. 9. categoricam cōtradictoriā: Noli meis, &c. Quî fit, ut Acutiū tantopere urgeatis (quod tamen est contra Scripturā) & illud, Noli iners, &c. cum alijs capitibus aliquot, tam ociosi præteritis?

Imò uerò illud uos uelle existimo, ut fiatis domini Ecclesiæ, ut omnia ista quæ uos dicitis, sint uera & adoranda, tanquam oracula et mysteria. Coniugium (dicitis) sit legitimum, & sit sacramentum, cum uos uolueritis: cum non uolueritis, debet esse immūdicies, & merdosum sacramentū, quo nemo poßit colere Deum, aut seruire Deo.

Qua ratione hæc congruent? Coniugium debet seruire generationi & educationi: & tamen mulier debet manere uirgo. Id nisi fiat, non est sacramentum Christi & Ecclesiæ. Digami sunt sine culpa, & habent uerum coniugium & sacramentum, cum uobis placet. cum non placet, sunt homines damnati, et segregādi à ministerio. Hui quàm bellè, & quanta arte atq; celeritate Diabolus uobis præstringit oculos, et in uestro cōspectu quadam subitanea metamorphosi cōuertit se in Protea, agitaturus uos ut tam absurda & portentosa monstra opinionum defendatis.

Quî nam hoc fieret, ut S. Augustini sentētiam pro articulo fidei habenda esset: cum ipse nolit sua, uel suorum maiorum dicta haberi pro articu

lis

lis fidei? Etiamsi sancti patres sic senserunt & docuerunt, quòd digamus uocetur talis qualem diximus, quid illud ad nos? Non propterea oportet nos sic sentire, uel docere. Non adeò imbecilliter struamus fundamenta salutis nostræ, super hominum dicta uel facta, quasi super stramen & stipulas. Sed Canonistæ tam stupidi asini & stolidi fatui sunt, cum suo idolo Romano, quòd ex sanctorum patrum dictis & factis uolunt facere articulos fidei, contrà quàm ipsi patres uolunt aut flagitant. Ex testimonijs Scripturæ probandum fuerat, quòd tales mariti digami aut trigami uocentur: tum demum hoc uerum esset, quòd tales non debeant esse ministri Ecclesiæ iuxta doctrinam S. Pauli: Episcopus debet esse unius uxoris maritus. Sed sæpe hoc accidit patribus, ut ueterem laciniã assuerẽt nouæ tunicæ, ut in hoc loco rectè hoc fit: & est noua tunica, quòd nullus digamus debeat esse minister Ecclesiæ. Quod uerò ille uel iste sit digamus, hæc est uetula lacinia ipsorum iudicio, cum Scriptura de hac re nihil dicat. Sed in scriptura uocatur digamus, qui simul & semel habet duas uxores. Et S. Paulus existimatur habuisse uxorem, Philip. 4. quæ sit mortua. Oportet igitur eum esse ἄγαμον, & relinquere munus Apostolatus. nam 1. Cor. 7. numerat se inter uiduos: & tamen 1. Cor. 9. uult habere libertatem communem

cum

cum Barnaba ducendi uxorem. Quis uult hoc affirmare pro certo, quòd piscatores pauperculi, Petrus, Andreas, Iacobus, uirgines, nõ uiduas, aut duas uxores duabus uicibus duxerint?

Illi bruti & asini non ita afficiuntur magnitudine huius uirtutis, quæ uocatur castitas, sicut sancti patres, qui maximo zelo eam tueri & à corruptelis uindicare conati sunt: sed libenter uellent perturbare miseras conscientias, easq; in discrimen adducere, tantum ut suũ librum plenũ spurcicie et fœditate plus quàm pecuina & barbarica defendant. Quasi uerò ipsorũ ars nunquam fefellisset, aut fallere potuisset. Alioqui bene uident, qualis seruetur castitas. Tamen de alijs opinionibus (& quid sunt nisi uanißimæ opiniones & mera somnia, ipsorum dogmata?) possunt dicere, si quid non libeat: Non tenetur hoc tenere. Cur non faciunt hic quoq;? cum aliàs tamen nõ unum tantum, sed omnes patres simul reijciant in causis decidendis, ut idolum Romanum suffuso ore uomit & rugit. Verùm ipsi libenter uellẽt regere Ecclesias, non aliqua certa & firma sapientia, sed petulantißimis opinionibus, & denuò omnium hominum cõscientias confundere, & incertiores adstutum reddere, ut audacißimè ante hæc tempora fecerunt. Sed sicut ipsi patrum & Theologorum ueterum testimonia eijciunt ex suis Canonicis,

cis, ita nos uicißim ipsos ex Ecclesia & ex Scriptura, & nomen ipsorum expungimus atq; eijcimus. Ipsi nullo modo debent nos docere Scripturas, aut reformare nostras Ecclesias: quia nec licet ipsis, nec possunt id præstare. Sed debent esse solliciti de suis Canonicis & præbendis. Hæc est ipsorum sanctitas. Ipsi nos miseros Theologos ex suis libris unà cum patribus eiecerūt: pro quo officio humaniter ipsis & amanter agimus gratias. Iam nos uolunt etiam ex Ecclesia & Scripturis eijcere, & ipsi tamen non possunt sustinere gubernationem. Hoc nimis est durum, & lacerat utrem: nec nos uolumus hæc conuicia tolerare.

Credo equidem, prout ipsi sapiunt, nulli uiro ducendam esse uirginem: aut si duceret, tamē post ipsius mortem, sacerdotio apud ipsos fungi non posset. Nam quis adeò erit amens, ut pro uirgine marito nouo spondere uelit, eam certò esse incorruptam uirginē? Difficile enim custoditur, quod multis placet. Et Germani dicūt, Der weg gehet für der thür über. Iam si comperisset illam non esse uirginem, sicut ante factum nullo modo potest esse certus: tunc est fœtidus & putidus digamus præter suā culpam. Si igitur uult esse certus de nanciscendo sacerdotio, etiam nō erit ei ducenda uirgo. Quis enim uult eū certificare, quòd sit uirgo? Quin potius uirgines, uiduæ, honestæ con

iuges,

iuges ſtuprandæ, alenda multa ſcorta, omnis ge-neris nefandis peccatis ac ſceleribus contaminandum propriũ corpus. Hæc decẽt ſacerdotẽ pium: hic dignus eſt cui committatur ſacerdotium, et cura paſtoralis pro multis milibus conſcientiarum. Verùm caput & ſumma negotij eſt, Papa, Diabolus, & ipſius Eccleſia *eſt inimica coniugio, ut* Daniel *prædixit. Propterea tanta rabie inſectatur coniugium. Cum dicit, ſacerdotes non debere eſſe maritos: perinde eſt ac ſi diceret, coniugium eſt inceſta conſuetudo polluti & pollutæ, peccatum & ſordes damnatæ diuinitùs.* Et *quanquam obiter interdum dicunt, quod ſit ſanctum, & ſit ſacramentum: tamen, ut impudentiſſimi hypocritæ, mentiuntur ex prauo & maligno corde.* Nam *ſi uerè ita ſtatuerent, cõiugium eſſe rem diuinam & ſanctam, & eſſe ſacramentum, tunc non eſſent prohibituri ſacerdotibus: ſed quia prohibent, ſequitur, ipſos habere cõiugium pro cõtaminatione & peccato. ſicut clarè allegant textũ,* MVNDAMINI QVI FERTIS VASA DOMINI. *Aut (ut aliquid dicam pro ijs qui ſunt boni) craßißimi* Neſtorij *&* Eutyches *ſunt, qui antecedens ponunt, & conſequens negant.* Bene *ueneritis ergo nobis* Papaſellæ *&* Aſellopapæ, *cum ueſtris* Canoniſtis. Nunc ad *inſtitutum redimus.*

Non igitur, ut dictum est, iuxta doctrinam Papisticam curiose scruteris, quis & qualis sit ille, qui ministerio fungitur. Nam illi asini non intelligunt uerba S. Pauli, nec norunt Grammaticam significationem uocabuli, quid Paulus nominet ibi Sacramentũ. Sacramentum dicit esse Christũ, & suam Ecclesiam: id est Christus et Ecclesia sunt unum corpus, sicut mas & fœmina: sed mysteriũ hoc magnum est, & fide apprehendendum. Non potest cerni oculis corporalibus, aut manibus contrectari. Propterea est sacramentum, res arcana, μυστήριον, res inuisibilis, abscondita. Sed quia non prima tantum coniugia, sed etiam uiduorum & uiduarum coniugia sunt unum corpus, tunc unum quodlibet coniugium typus uel signum est huius magni sacramenti, uel mysterij in Christo & Ecclesia. S. Paulus non loquitur de uirginibus, uel de uiduis: loquitur de coniugio, in quo uir & uxor sunt unum corpus. Cum igitur tales præfecturas uel præfectos aspicis, scito quòd certò ibi sit sancta Ecclesia catholica. Nam Ecclesia non potest consistere sine talibus Episcopis, pastoribus, concionatoribus, sacerdotibus: & contrà, ipsi possunt esse sine Ecclesia: sed oportet eos unà uiuere, aut unà ruere.

Sexto: Agnosci etiam potest externo quodam modo sancta Ecclesia catholica ex oratione, ex

publica

publica gratiarum actione, & celebratione Dei. Nam ubicunq; locorum uideris uel audieris recitari orationem Dominicam, aut assuefieri auditores, ut saltem uerba recitare discant: item cum audis decantari Psalmos, aut sacras cantiones, iuxta uerbum Dei & ueram confeßionem: item, Symbolum, decem præcepta, & Catechismum publicè exerceri: ibi certo certius debes statuere, quòd sit sancta catholica Ecclesia Dei. Nam inuocatio etiam est illud preciosum sanctum, Cadosch, per quod omnia sanctificantur: ut S. Paulus inquit. Sunt uerò Psalmi etiam nihil aliud quàm formæ precationum, quibus Deus celebratur & glorificatur, & gratiæ aguntur Deo pro inenarrabilibus beneficijs corporalibus & spiritualibus. Et symbola, decem præcepta, etiam sunt uerbũ Dei. Deniq; sanctum est omne, per quod Spiritus sanctus populum sanctum Dei sanctificat. Nos uerò loquimur de precationibus & hymnis, qui intelliguntur, & ex quibus piæ mentes aliquid possunt haurire doctrinæ & consolationis. Nam Monachorum, Monialium & Canonicorum battologiæ & mumurationes, nõ sunt precationes aut celebratio Dei: quia nihil intelligunt, nec uolunt aliquid inde discere. Sed faciunt ex consuetudine, sicut asini molendinarij assueti sunt suis laboribus, tantum uentris causa: non est ibi ulla προαίρεσις

emendationis, non est ibi ulla cogitatio de beneficijs Spiritus sancti, aut de uoluntate Dei.

Septimo: Agnoscitur extrinsecus sancta Ecclesia catholica, etiam ex mysterio sanctæ crucis, adeò ut tota uita nihil aliud sit quàm omnis generis calamitates et persequutiones, miseriæ & ærũnæ (ut in oratione Dominica dicitur) à Diabolo, mundo & propria carne: intus, mœsticia, pusillanimitas, terrores: foris, paupertas, contemptus, morbi, debilitas corporis, paßiones: ut hic cœtus fiat conformis capiti Christo. Et causam oportet esset illam unicam, ut firmißimè nitatur rupe immobili Christo, & ipsius uerbo, & constanter subeat pericula & paßiones per Christum. Mat. 5. Beati qui persequutionẽ patiũtur. Oportet esse homines honestos, sedatos, morigeros, paratos corpore & facultatibus seruire magistratibus et omnibus alijs, neminem afficere iniuria uel contumelia. Ac nullam gentem, nullam nationem in toto genere hũmano tam esse obnoxiam horribilibus & immanibus odijs oportet: nullum denique populũ immaniorem & detestabiliorem Christianis, ut qui habẽtur deteriores Iudæis, ethnicis, Turcis. Summa, oportet eos esse hæreticos, alastores, cacodæmonas, catharmata & anathemata, & si quid peius dici uel cogitari potest: ut etiã illi cultum Deo præstent, à quibus innocentißimi

hommes

homines suspenduntur, submerguntur, trucidantur, torquentur & affliguntur, ut non modò nemo moueatur erga ipsos commiseratione, sed etiã pro potu misceatur eis fel & myrrha, ut fiebat Christo pendenti in cruce. Nec *tamen patiuntur talia supplicia, ut mœchi, latrones, fures, uel homines scelerati; sed, quia præter* Christũ *filium* Dei *nullum alium* Deum *uolunt agnoscere.* Iam *ubicunque locorum uides uel audis talia, certò scias quòd sit ibi sancta catholica* Ecclesia, *ut dicitur* Matth. 5. Beati *eritis, cum homines maledixerint uobis, & nomen ucstrũ ut rem noxiam abijciunt, & hoc per me. Gaudete & exultate, merces uestra copiosa est in cœlis.* Nam *hoc* Cadosch, *seu* ἅγιον. Spiritus *sancti, non tantum consecrat homines in hac mortali uita, sed etiam in omni æternitate saluat in corpore & anima.*

Interea *nihil moueatur tua mens* Papistarum *profaniſsimis figmentis, de reliquijs sanctorũ, de ligno sanctæ crucis.* Tam *enim possunt esse mortua ossa ex aliquo putrescente cadauere equi uel bouis, quàm alicuius* Sancti. Lignum *sanctæ* Crucis *quod ipsi mõstrant, tam potest esse lignum furcæ uel patibuli, quàm sanctæ crucis: & latent ibi meræ imposturæ & aucupia, quibus* Papa *audaciſsimè decipit homines propter pecuniam, & à* Christo *eos abducit.* Ac *etiamsi essent ueræ reli-*

quiæ,tamen neminem sanctificarent. Sed quando propter Christum tyranni te condemnant,criminantur, maledicunt tibi, affligunt & cruciant te, hoc te sanctificat. Mortificatur *enim uetus* Adã, *& proficit in illis summis uirtutibus,in patiẽtia, humilitate,mansuetudine,gratiarum actione,celebratione* Dei,*& ut in ærumnis sis alacer & uiuidus.* Hoc *demum est sanctificari per* Spiritum *sanctum,et renouari ad æternã uitam in* Christo.

In *his ueris exercitijs pœnitentiæ, discunt pij credere,confidere* Deo,*sperare in* Deum, *diligere* Deum:*ut* Rom. 5. *dicitur,* Tribulatio *spem efficit,&c.*

Hæ *sunt septẽ partes principales & integrales, per quas* Spiritus *sanctus in nobis quotidie sanctificationẽ et uiuificationẽ operatur in* Christo:*& id quidem iuxta primam tabulã.* Hanc *implemus per illam sanctificationem,quanquam nõ in illo summo gradu, & in illa perfectione, qua implet legem filius* Dei,*qui perfectißimè satisfacit legi: quanquam nos quoq; in hac mortali uita paulatim magis magisq́; proficimus, adiuti beneficijs filij* Dei, *redemptione à peccatis, & ab ira* Dei, *donec tandem erimus consummati in illa æterna consuetudine cum* Deo, *ubi non amplius erit peccatum, &c.* Nam *ad illum scopum ultimum & unicum, piæ mentes in omni uita & in*

extremo

extremo agone reſpiciũt. Poſſem etiam nominare has partes, ſeptem ſacramenta. Sed quia uocabulum Sacramẽti uenit in abuſum apud Papiſtas, & tamen aliter in phraſi Scripturæ uſitata ſignificat, uolo ſimpliciter nominari ſeptem capita Chriſtianæ ſanctificationis, uel ſeptem Sancta, heiligthůmb.

Præter hæc ſeptem capita iam ſunt aliæ plures notæ, ſeu ſigna externa, ex quibus ſancta catholica Eccleſia *agnoſcitur: nempe cum Spiritus ſanctus etiam iuxta ſecundam tabulam nos ſanctificat, ut ipſo auxiliante parentes ex animo ueneremur, & debita pietate colamus: uiciſsim etiam parentes ipſi liberos in omni pietate et honeſtate educant. cum noſtris principibus & magiſtratibus fideliter & ex animo bene uolumus, morem gerimus atq; obtẽperamus: & uiciſsim ipſi quoque ſuos ſubditos uera* στοργῇ *complectuntur, defendunt & tegunt.* Item, *cum neminem odimus, non iraſcimur, non inuidemus alijs, non indulgemus odijs, nõ ſumus cupidi uindictæ aduerſus proximum: ſed ſumus proni ad condonationẽ, ad mutua officia neceſſaria communi uitæ. cum non immoderati, non heluones, non prodigi, non ſuperbi, inflati, tumidi: ſed caſti, modeſti, ſobrij, amabiles, humiles, & manſueti ſumus. non furta, rapinas, non latrocinia exercemus, non uſuras iniu-*

ſtas aut lucra inconceſſa quærimus, non ſumus auari:ſed liberales, benefici, noſtro cõtenti, κοινωνικοί. non mendaces, calumnioſi, periuri: ſed ueraces, cõſtantes in dictis & factis, & quicquid præterea de his præceptis dici poteſt: ſicut S. Paulus paßim iſta, pro opulentia ſui ſpiritus uberrimè explicat, commẽdat, atq; exaggerat opera ſecundæ tabulæ. Ideo enim Decalogũ nos habere neceſſe eſt, non tantum ob hanc cauſſam, quòd per Decalogum, quaſi per ſententias uel γνώμας, erudimur de ijs rebus in quib. nos oportet Deo præſtare obedientiam: ſed etiam, ut inde iudicare poſſimus, quàm propè attigerimus metam, ducente Spiritu ſancto: & quàm adhuc procul abſimus, ne tandem nos opprimat ſecuritas, faſcinatos tali perſuaſione, quaſi omnia fecerimus, & ſubinde magis magisq; creſcant initia ſanctificationis, initia nouitatis, quoad uſque fiamus noua creatura Dei in Chriſto: ſicut ſcriptum eſt, Creſcite: item, Vt abundetis magis.

Quanquam autem hæc ſigna non apparent adeò eſſe certa, ſicut ea de quibus ſuprà diximus, cum etiam aliqui Ethnici hæc honeſtißima exercitia plurimi maximiq; fecerint, & quidem ea in re multo ampliorem laudem meruiſſe, & perfectiores atq; ſanctiores fuiſſe uiſi ſint quàm ipſi Chriſtiani: tamẽ omnia eorũ exercitia, omnes bonæ et

honeſtæ

honestæ actiones, omnes ipsorum disputationes de uirtutibus, de fine hominis, de summo bono: illa inquam omnia non procedunt ex sincero & simplici corde, quod uult præstare hæc officia propter Deum: *quia non est in ipsis uera fides, & uera agnitio* Dei. Hic *uerò in* Ecclesia *uera* Dei *regnat & est efficax* Spiritus *sanctus, qui corda hominum regenerat & sanctificat, & tales fructus ex corde bono & puro producit, ut* Christus *inquit in parabola* Matth. 13. Et *quia tamen prima tabula est sublimior, & testimonia* Spiritus *sancti magis illustria ibi conspici ac contineri necesse sit: uolui in secunda* Tabula *hæc omnia comprehendere.* Alioqui *potuissem etiam partiri in septem uel plura capita, iuxta ordinem septem petitionum in oratione* Dominica.

Iam *igitur scimus certò, quid, ubi, & quæ sit sancta* Catholica Ecclesia: *id est, electus & sanctificatus populus* Dei. Et *certißimum est, quòd non fallunt hæc signa.* Sed *omnia alia signa extra illa quæ recensuimus, possunt fallere: sicut aliquid postea ea de re dicturi sumus.* Ex *tali igitur populo deligendi erant homines idonei ad* Concilium. Et *tale* Concilium *esset gubernaturus immediatè, et sine ulla dubitatione,* Spiritus *sanctus.* Sic *etiam scribit* Lyra, *quod* Ecclesia *non sit æstimanda ex magnis uel præpotentibus ordinibus, quos uocāt*

Spirituales: sed ex hominibus pijs, qui uerè credunt Euangelio. Miror profectò, eum non esse ustulatum, & in minuta frusta discerptum: uel dissectum, propter hanc uocē editam: quòd nō uult Pontifices, Cardinales, Episcopos, Prælatos esse Ecclesiam. Hæc opinio gignit horribiles hæreses, nullo modo tolerandas catholicæ Ecclesiæ Romanæ, & contumeliosas aduersus uicarium Apostolicæ sedis. Qua de re alibi.

Iam cum uideret Diabolus, ut est κακόζηλος, quòd Deus electam et sanctam Ecclesiam sibi condidisset, non potuit quiescere, priusquam conderet sacellum prope illud templum, quod esset amplius & spaciosius quàm est ipsum templum Dei. Videbat Deum instituere externas ceremonias, ut baptismum, uerbum, sacramētum, claues, &c. per quas suā Ecclesiam sanctificaret: sicut semper est simia Dei, & uult omnia facere ad imitationem Dei, & aliqua melius facere, imitatus etiā est res externas, quasi illæ etiam sanctificent: sicut facit apud mulieres magicas, incantatrices, ueneficas, exorcistas, &c. Ibi etiam permittit legi Euangelion & orationem Dominicam, ut sit maior celebritas illius ἁγιαστικῆς: ita etiā permisit per Pontifices & papistas cōsecrari uel sanctificari aquā, sal, herbas, candelas, campanas, imagines, statuas, agnos Dei, pallia, altaria, stolas, rasos uertices, di-

gitos,

gitos, manus, & quis deniq; omnia enumeraret? Deniq; etiam cucullos Monachales adeò iuſsit eſſe ſanctos, ut multi homines ijs inſui uoluerint morientes, priuſquam ſepelirentur, quaſi per talem ueſtem poſſent conſequi æternam ſalutem. Iam illud quidem concederetur, ut uerbum Dei, formæ conſecrationum uel orationum, recitarentur ſuper creaturas, ſicut pueri faciũt ad menſam, aut cum eunt cubitum, uel ex ſomno ſurgũt. & S. Paulus inquit: Omnis creatura Dei bona eſt, & ſanctificatur per uerbum & orationem. nam ex tali conſecratione creatura non acquirit nouas uires, ſed confirmantur uires rebus prius inditæ.

Verùm Diabolus quærit aliud. Illud uult, ut per talem ſuam κακοζηλίαν creatura acquirat nouas uires. Perinde ut aqua per uerbum Dei fit baptiſmus, lauacrum regenerationis ad æternam uitam, peccata abluens, & ſaluans hominem uirtute & efficacia uerbi & mandati diuini, non ui propria: item panis & uinum fit corpus & ſanguis Chriſti: per impoſitionem manuum remittuntur peccata, iuxta inſtitutionem diuinam: ita uult etiam Diabolus ſuas præſtigias eſſe efficaces, & aliquid noui facere contra communem curſum uel ordinem naturæ. Aqua luſtralis (inquiunt) delet peccata, depellit ex familijs incubos nocturnos, tuetur puerperas aduerſus diabolos & ſpe-

ctra

ctra diabolorum: ut Papa docet c. Aquam sale. de pe. Easdem uires dicunt habere sal consecratum. Agnus Dei à Papa consecratus, etiam amplius po test facere quàm Deus ipse: sicut illæ nugæ sunt de scriptæ in uersibus, quos semel deberē edere cum Glossa. Sonus campanæ depellit diabolos in magnis & subitis tempestatibus. Antonij gladius sauciat Diabolos. Herbæ cōsecratæ sauciant uenenatos uermes. Aliquæ consecrationes sanant ægrotantes, uel morbidas uaccas, depellunt sagas furto subtrahentes lac, cohibent ignem in incendijs. Certi characteres depicti in chartis, custodiunt corpora aduersus uulnera & impetus hostiles in bellis, et aliàs etiam contra ferrum, flammas, submersiones in aquis, contra incursiones & rabiem ferarum grassantium in syluis.

Monachatum, Missas, & similia portenta aiunt adhuc diuiniora, & excellentiora dona mereri, quàm salutem æternam. Et quis Homerus, quis Demosthenes sufficeret, omnibus illis impietatib. enumerandis? Tamen nullum periculum adeò fuit leue aut contemptibile, quin Diabolus Sacramentum aut mysterium fundauerit, ut uana spe auxilij allicerentur homines ad nefandas illas & innumeras profanitates. Ad hac res tanquam organis usus est prophetißis, Pythonißis, aruspicum uaticinijs, qui potuerunt diuinare de rebus arca-

nis,

nis, prædicere futura, res furto aut rapinis ablatas restituere.

Longè est instructior Diabolus *prophetarum,* Apostolorum, Euangelistarũ *multitudine, quàm ipse* Deus: *& ipsius sacellum multo est capacius & spaciosius omnibus templis, in quibus* Ecclesia *uera* Dei *congregatur.* Ac *cœtum habet sibi addictum longè numerosiorem, quàm* Deus *habet.* I*mò facilius inclinant hominum pectora ad amplectendas* Diaboli *promißiones, sacramẽta, diuinationes, quàm aßentiũtur* Christo. Ipse *est magnus* Deus *huius mundi, ut* Christus *ipsum nominat* ἄρχοντα κόσμου τούτου, & Paulus *uocat eum* κοσμοκράτορα. Talibus *ludis & præstigijs callidè abducit* Diabolus *mentes humanas à fide in filiũ* Dei, *extenuat & obscurat uerbum & sacramẽta instituta à filio* Dei *in beneficium* Ecclesiæ, *miranda & inenarrabili bonitate.* Quasi *uerò sit facilius & compendiosius per* Diaboli *sacramenta immensum peccati & iræ* Dei *onus tollere, liberare afflictißimas conscientias ex ærumnis, ex horribilibus agonibus tentationum & certaminum spiritualium, quæ profanis & carnalibus hominibus ignota sunt, educere ex ipsa morte homines mersos in infernum, ad conspectum æternæ beatitudinis, glorificationis, lucis & uitæ æternæ.* Hæc *inquam beneficia multi putant facilius posse impetrari*

trari per ſacramenta diaboli, quàm per Chriſti ſacramenta. Hic enim per Spiritum ſuum ſanctum uult ſanctificare mentes ad uitam æternam, & ſaluare animas & corpora eorum qui credunt: nec uult nos manere in perpetua dubitatione, aut in peccatis contra conſcientiam. Has res tantas difficile eſt aſſequi eos, qui non uolunt conuerti, & petulanter magis magisq; proruunt in alia atque alia ſcelera. Iis nō ualde opus eſt efficacia & auxilio Spiritus ſancti: quia mentes ſunt occupatæ hac perſuaſione, quòd ſine Spiritus ſancti ope minori negotio poſsint ſaluari per aquam luſtralem, per agnū Dei, per bullas & ſcriptas chartas, per miſſas, cucullos, & raſos uertices Monachorum. Non igitur opus eſt alia præſidia aut refugia quærere.

Nec uerò illud tantum, ſed hoc quoq; quæſiuit Diabolus, ut tali audacia ſe armaret, deleturus et aboliturus ex uniuerſa Eccleſia nefando ſacrilegio Verbum et Sacramenta, ita cogitans: Si proditurus eſt aliquis, qui meam Eccleſiam uaſtare, Sacramenta pro impietatibus & profanationibus horrendis iudicare, ſplendorem epiſcoporū taxare audebit, quaſi res externæ non poſsint ſaluare: tum illud effectum dabo, ut uerbum Dei & uera ſacramēta ſimul intereāt ac corruāt. Quia ſunt etiam externa ſigna, & ipſius Epiſcopi & Eccleſia etiam ſunt homines corporei. Si mea ua-

lere nõ debent, multo minus ipsius inuenta ualere debebũt: præsertim cum mea Ecclesia, Episcopi, *& sacramenta sint efficacia, & ferant præsentem opem hominibus in hac uita, adeò ut manifestè conspici, sentiri & palpari auxilium poßit.* Ego *enim præsens adsum, & inuocatus citra morem soleo opitulari.* Sed Christi *sacramenta operantur res futuras, & inuisibiles in* Spiritu, *ut ipsius* Ecclesia *&* Episcopi *uix à longè modicum poßint præsentiri: &* Spiritus *sanctus simulat suam præsentiam, quasi esset absens: sinit eos premi omni genere calamitatum, & præ mea* Ecclesia *tanquam hæreticos extremè cõtemni.* Interea *mea* Ecclesia *nõ modò tam propè adest, ut in omnium hominum oculos incurrat, adeoq; ut manibus contrectari poßit: sed etiam effectus & signa meæ præsentiæ citò conspiciuntur.* Hanc *prærogatiuã et hæc cõpendia habeo, & pulchrè calleo.*

Sic etiam accidit, cum Dei *beneficio cœpta repurgatione doctrinæ, auspicati essemus prædicationem* Euangelij, *quòd res externæ non possent saluare, quia essent nudæ, corporeæ & inefficaces creaturæ, quibus sæpe abutitur diabolus ad magicas incãtationes: eò erroris delapsi sunt multi & magni nominis uiri, ut sentirent, quòd* Baptismus, *ut aqua externa,* Verbum, *ut externus seu articulatus hominis sonus,* Scriptura, *ut externa li-*

na litera atramento aut uernice picta, quòd panis à pistore assus & coctus, et uinum, prorsus nihil essent, quia essent res externæ & caducæ. Ita increbescebant apud ipsos clamores: Spiritus, Spiritus. Necesse est ut Spiritus sit efficax: Litera occidit, spiritus uiuificat. Ita et Thomas Monetarius *anno 25. nos* Vuitebergenses Theologos *nominabat* γραμματοδιδάκτους, *se uerò & suos socios uocabat* πνευματοδιδάκτους. Ibi *uides, quomodo* Diabolus *se armauerit, mœnibus et muris ferreis se cinxerit, ut si ipsius doctrinam de rebus externis & Sacramentis (quæ tamen celeriter, uisibiliter & efficacissimè iuuarent) aliquis esset reprehensurus, simul oporteret externa sacramenta et uerba* Christi *(quæ tardiusculè, aut certè inuisibiliter, nec adeò efficaciter opem ferunt) potius tolli, & unà cum suis prorsus interire.*

Habet igitur sancta catholica Ecclesia *nō tantum externa uerba, sacramenta uel ministeria, sicut simia* Dei *Satanas etiam illa & multo plura habet: sed habet illa ipsa à* Deo *mandata, instituta & ordinata: ita ut ipse* Deus, *nō angelus aut creatura, per illa ministeria uirtute spiritus sancti uelit esse efficax.* Nec *angeli, uel hominis, uel ullius creaturæ: sed ipsius* Dei *uerbū, baptismus, sacramentum uel remißio, ministerium uocari debet.* Nisi *quòd hæc bona uerißimè uult exhibere nobis*

bis miserrimis & infirmis uermiculis, confirmandis uel consolandis: non per illam fulgentem, radiantem et clarißimã lucem suæ Maiestatis: *quam quis posset uel uno momento contueri ac sustinere, in hac fragillima, imbecilli & infirma massa humanæ carnis?* Vt Moyses *inquit:* Non *uidebit me homo, et uiuet. Cum* Iudæi *non possent contueri calceos pedum suorũ in monte Synai, in tempestate, nubibus & fulgetris: quomodo uellent tam infirmis, & planè uespertilionum oculis lucidißimum solem diuinæ* Maiestatis, *& fulgentem faciẽ contueri? Sed uult hoc facere per tolerabilia, moderata & iucunda media, quæ etiamsi daretur optio, non possent à nobis commodiora & magis conuenientia eligi: quàm quòd aliquis uir bonus & honestus, fidißimo & sincerißimo pectore nobiscum colloquitur, nobis concionatur, imponit manus, absoluit & remittit peccata, baptizat, panem & uinum ministrat, ad comedendum & bibendum.*

Q*uis posset has dulcißimas & pulcherrimas formas odisse uel auersari, & non potius læto & alacri spiritu totus diffundi & liquescere præ exundanti gaudio?* Q*uia profectò illa fiunt nobis trepidantibus & miserrimis uermiculis in consolationem: & uidemus ibi, quàm blandè & paternè æterna, inconspicua & infinita maiestas* Dei

nobiscum quasi cum tenerrimis ac dilectißimis filiolis colludat & colloquatur, nec uult (quod quidem iure posset facere) maiestaticè & pro infinita magnitudine suæ omnipotentiæ nobiscum agere: & tamen illis externis signis, ceu inuolucris, sua miranda & diuina opera uestit, et sub illis potentiam & robur suum contra Diabolos *& tyrannos exerit atq; exercet: idest, remittit peccata, purgat peccata, tollit mortem, gratis donat nobis æternam iusticiam & uitam. Hæc tanta, tam inenarrabilia & efficacißima bona nõ adsunt in* Ecclesia, *uel in sacramentis* Diaboli. *Ibi tota natura, gramina & folia in arboribus reclamant illis, qui audacißimè clamant,* Deus *præcepit ista,* Deus *mandauit,* Deus *instituit,* Deus *sanciuit, ipse uult enter, præsenter & potenter adesse. Sed oportet nos contrarium dicere & sentire:* Deus *non præcepit ista, sed seuerißimè prohibuit:* Homines *excogitarunt ista, uel potius simia* Dei *audacißimè finxit & decepit homines.* Nam *nihil operari, nihil efficere potest diabolus, nisi quod interdum ludit in rebus temporalibus seu corporalibus: aut etiamsi debent esse spiritualia, meræ imposturæ sunt.* Non *enim potest remittere culpã & pœnam æternam, & in omni æternitate saluare hominẽ: ut sunt manifestißima et craßißima exempla mendaciorum et deceptionum* Diabolicarum, *in aqua*

lustrali,

lustrali, missa et monachatu: etiamsi uaccæ potest interdum restituere lac, antea sublatum furto sagarum, uel mulierum magicarũ, quas Christiani uocant diaboli consocias, facientes pactum cum Diabolo, & ubicunq; haberi possunt, igne cremantur: id quod iustum est, non propter lac ablatum furto, sed propter illam contumeliam in Christum filium Dei, qua confirmant hæc Diabolica pacta unà cum sacramentis falsis, quæ Diabolica audacia conficta sunt.

Summa: si Deus sua uoce è cœlo iuberet te leuare culmum, aut stringere plumam, tali præcepto, mandato & promissione, quod eiusmodi opere posses mereri remissionem peccatorũ omnium, reconciliationem & acceptationem gratuitam, et æternam uitam post hanc uitam: non'ne hoc exporrecto & lætabundo uultu, flagrantissimo pectore, & gratiarum actione ardentissima acceptu rus, utraq; manu amplexurus, & magnificentissimis laudibus ad sidera usque exaggeraturus, & hanc ipsam ob causam illum culmum uel illam plumam maiori diligentia asseruaturus præ omnibus thesauris, & ardẽtiori desiderio prosequuturus esses, quàm cœlum et terram? Quantumuis enim uilis esset hic culmus, uel hæc penna, tamen illo mediante posses acquirere bona omniũ: summa, quæ non posset tibi cœlum uel terra uel ulla

creatura aut ullus angelus impertiri. Quare igitur nos ignauißimi homines tam sumus inertes et desides, ut baptismi aquam, panem et uinum, id est Christi corpus & sanguinem, uocale uerbum ministri, impositionem manuum in absolutione, quæ est signum remißionis peccatorum, etiam non tanti facimus, quanti culmum aut plumam illam facturi essemus? Cum tamen Deus per illa (sicut scimus, & audimus quotidie in templis) ipse uelit esse efficax: & uelit hæc elemēta, aquam, uerbum, manum, panem & uinum, sua esse, quibus uult te sanctificare & saluare in Christo, qui nobis hæc bona, paßione, morte et sacratißima resurrectione promeruit: & Spiritum sanctum de substantia patris ad efficiendos uiuos motus, in corda hominum opulenter effudit.

Econtrà, etiamsi cataphractus ires ad S. Iacobum, aut à Carthusianis, Franciscanis, Dominicastris per asperrima quæq; exercitia ad consequendam æternam salutem interficereris, quæ tamen non mandata essent diuinitùs, planè nihil faceres: quia Deus tamē ignorat ista, sed tu unà cum diabolo impudentißimè ea cōmentus es, quasi peculiaria sacramenta aut sacerdotum ordines. Et si tuis humeris uelut Atlas cœlum et terram baiulare posses, & tali onere sperares te posse consequi salutem æternam, tamen ista omnia frustra fierēt:

Sed ille qui culmum (si esset præceptũ diuinitùs) leuaret humo, plus faceret, quàm tu faceres, etiãsi decem orbes semel posses gestare. Quæ est ratio? Deus uult nos audire uerbum, uult nos esse discipulos & auditores suæ uocis, uult nos reuerenter obedire uerbo, uult nos uti sacramẽtis ab ipso institutis, uult nos uenerari Ecclesiam et ministros: *tunc uicissim uult clemẽter & paternè nobiscum agere, & quidem clementius & mitius, quàm nos ipsi postulare aut petere ausimus. Sic enim nos alloquitur uox diuina:* Ego Deus tuus, *non habebis deos alienos coram me.* Item: Hunc audite, *& neminem alium. Hæc iam satis sint dicta de* Ecclesia: *plus de ea dici non potest, nisi quòd singulæ partes latius possunt extendi & illustrari. Reliqua omnia alia ratione intelligenda sunt, qua de re etiam pauca dicemus.*

Præter hæc externa signa καὶ ἁγιαστήρια *habet* Ecclesia *alios plures externos ritus, à quibus & per quos nequaquam sanctificatur uel corpore uel anima, nec sunt à* Deo *instituti aut præcepti. Sed ut suprà ea de re multa diximus, quòd talis externa species seu facies* Ecclesiæ *honesta, utilis & necessaria est, ut quod propter conciones sacras, aut inuocationem publicæ* Ecclesiæ *celebrantur certi dies festi, horæ certæ antemeridianæ & pomeridianæ: quòd ædes sacræ, altaria, suggestus,*

 gestus,

gestus, pulpita, baptisteria, candelabra, lychni, nolæ, uestes talares, & alia id genus usurpãtur, quæ omnia nihilo pluris faciunt quàm sua ratione uel modo: sicut cibus aut potus nihilo plus faciũt propter formam benedictionis, aut gratiarum actionis, quam pueri ad mensam recitant, &c. Nam ho*mines profani & barbarici, qui ad mensam uelut porci ad quisquilias accedunt, sine inuocatione* Dei, *& sine gratiarum actione, tam nutriuntur et saginantur cibo & potu, quàm ij qui sunt ualde pij.* Homines Christiani *bene possent sanctificari, & manere sancti, etiam cum in plateis sine sacra æde, sine suggesto haberentur conciones, remittentur peccata, aut etiam si sine ara sacramentum ministraretur, aut sine baptisterio initiarentur infantuli sacro fonte: sicut ferè fit quotidie, ut in priuatis ædibus concionandum sit, infantes ibi baptizandi sint, ministrandum sacramentum, propter necessarias & singulares causas.* Sed *propter pueros & ineruditum uulgus, pulchrum est hoc, & boni ordinis caussa faciendum, ut certum tempus, loca certa, horas certas habeant constitutas, ad quas se singuli præparare & congregare poßint. ut* S. *Paulus inquit* 1. Cor. 14. Omnia *fiãt ordine & decenter in* Ecclesia. Et *talem ordinem nemo debet (sicut nemo pius facilè audet, præter rem, tantum ut confusiones in* Ecclesiam *inuehat,*

inuehat, & turbet ordinem) fastidire, aut superbè contemnere: sed propter utilitatem cœtus debet unusquilibet se associare multitudini, & data opera ritus publica & pia consuetudine receptos unà seruare, aut certè eos non impedire uel turbare. Nam talis turbatio aut dißipatio foret contra charitatem, & communia humanitatis officia.

Interea tamen quædam in istis ritibus & usibus Ecclesiasticis *libertas retinenda est, ut cum impediti neceßitate, aut propter caussas utiliores nõ possumus concionari hora 6. 7. 12. uel 1. die solis aut lunæ, in choro uel in templo S. Petri, eligantur aliæ horæ, dies, & loca alia: modò ne aliqua fiat confusio aut turbatio. Sed si quid eruditorum & saniorum iudicijs mutandum censebitur, fiat id consentiente seu suffragante tota multitudine.* Nam *hæ res omnes prorsus sunt externæ, & dictamini rationis (pro ut circumstantiæ temporum, locorum, personarum postulant) potenter & totaliter subiectæ sunt.* Deus, Christus *& Spiritus sanctus nihil curant ista:* Imò *tam non curãt, quàm illud, quid aut ubi comedamus, bibamus, uestiamur, habitemus, nubamus, ubi ire aut resistere uelimus, nisi quòd (ut dictum est) sine causa nemo aliquid priuata audacia instituere, & cœtum impedire uel turbare debet. Sicut tempore nuptiarum aut conuiuiorum nemo debet exhibere il-*

lam molestiam sponso aut socijs, ut uelit aliquid nouum aut inusitatum tentare, quod dissentiat à uoluntate & consensu aliorum. Sed toti cœtui te debes associare, cum toto cœtu existimes tibi esse sedendum, eundum, resistendum, saltandum, communi cibo & potu utendum: quia non possunt singulis singulæ mensæ, culinæ aut cellæ peculiares instrui: si cui quid desit aut displiceat, surgat is à mensa, & alios sinat sedere quietos. Ita hic quoque omnia debent sedatè, moderatè & ordine certo geri: & tamen esse libera, quoties tempus, persona, aut aliæ circumstantiæ exigunt ut mutentur. Et quidem tunc cœtus postulante necessitate, unanimiter & consentientibus uoluntatibus accipit talem mutationem, cum nullus Christianus (ut dictum est) inde fiat melior, aut deterior. Tametsi Papa hac ipsa de re penè totum orbem terrarum immani mole commentariorum & librorum referserit, & in meros laqueos conscientiarum, leges, exactiones, iura diuina & humana, articulos fidei, nomen peccati & iusticiæ conuertit: ut meritus sit, denuò tradi ignibus suum Decretale. facile enim carere Ecclesia posset tali l[illegible]ro, quod horribile & irreparabile damnum dedit in magna parte generis humani, sacram scripturam in cœno et puluere sepelijt, & doctrinam Christianam penè integram deleuit: etiam iurisperitos cum suis Im-

perialibus

perialibus legibus mancipauit: atq; ita tum Eccle ſiam tum Imperatorem pedibus proculcauit, & pro ijs nobis obtruſit indoctiſſimos Canoniſtas aſinos, qui ſuis fatuitatibus & deliramentis Eccle ſiam rexerunt. Et quod multo magis dolendum ac deplorandum eſt, relictis ijs quæ fuerant ſanio- ra & meliora, excerpſerunt peßima & abſurdiſ- ſima quæq;, à quibus ut quiſque erat optimus, ita maximè abhorrebat: & ui ac fuſtibus ad ea ado- randa Eccleſiam coegerunt. Etiamſi enim illis con fuſis Canoniſtarum ſcriptis aliquid interdum bo- ni fuit admixtum, ſicut inter ſtercora reperitur interdum aliquid auri: tamen illud ipſum melius & uberius habetur in ſacra Scriptura, uel etiam in unius Auguſtini ſcriptis, quantum attinet ad e- rudiendam Eccleſiam: poſtea etiam in Iuriſperi- torum libris, quo ad Politicam gubernationem. Nam & periti iuris ſemel ipſi quoq; decreuerant à reliquo toto corpore iuris hunc librum, tanquã putre membrum abſcindere, & Theologis enu- cleandum relinquere. Sed longè eſſet conſultius, Decretũ hoc ignibus tradi, & ad cineres uſq; cre mari, tametſi ineſt aliquid boni: alioqui enim non poſſent ſtare mera mala ſine bonis. Sed mala ſunt ibi in tanta copia, ut nõ queat locus eſſet rebus bo nis. Et, ſicut dixi, ea quæ ſunt bona, multo uberius & locupletius explicantur in Scriptura, imò e-

tiam in patrum & iureconsultorum libris. Nisi *quis eo fine tales libros reponi uelit in* Bibliothe*cas, ut ibi extet testimonium, ex quo poßit colligi, quàm turpiter hallucinatus sit* Papa *cum suo conciliabulo, & cum tota illa caterua purpuratarum simiarum, & multis alijs* Ecclesiasticis *scriptoribus*. In *hunc finem ego etiam librum illum forsan retinerem.*

Has *res externas, & in usu liberas, uolumus conferre ad stolam uel fasciam, cui inuoluitur infantulus qui affertur ad* Baptismum. *Certè infans non baptizatur aut sanctificatur per illam stolã uel fasciam, sed simpliciter per* Baptismum. Et *tamen ratio docet, illud tenerum corpusculum inuoluendum esse tali fascia: qua polluta aut lacerata, noua induitur infanti.* Ita *paulatim crescit infantulus, accedente ætate, sine ullo adiumento fasciarum, &c.*

Sed & hic modus adhibeatur, ne nimis multæ fasciæ aut linteola sumãtur, ne suffocetur infans. Ita *in cæremonijs etiam modus adhibeatur, ne tandem fiant onus & laquei conscientiarum. Sed ita temperandæ sunt, ne quis sentiat esse onus. sicut in conuiuio uel pompa nuptiali nemo sentit se grauari, cum ad aliorum gestus & mores, suos temperat.*

De *ieiunijs olim etiam librum edam, cum fuero in-*

ro inuectus in istam execrandam, tetram & plus quàm bestialem atq; barbaricam consuetudinem belluandi, comessandi, perpotandi, quæ propria Germanorum *est.* Et *reprehendi talia nõ tantum utile est propter commonefactionem, sed etiam ad formam politicæ gubernationis pertinet.*

De *Scholis suprà, & aliàs etiam scripsi, et uiros politicos ac sapientes gubernatores fideliter sum exhortatus, ut in hanc præcipuam curam unicè incumbant, ut ad faciendas operas scholasticas deligantur homines idonei, uiri boni, honesti, & solidè docti.* Nam *etsi de horũ laboribus, cum iuuentutem in linguis & artibus exercent atque erudiunt, multi satis tenuiter sentiunt, & habet hæc res speciem quasi sit qualecunq; exercitium ethnicum, quod utcunq; conducat ad cohibendam ferociam uel petulantiam primæ ætatis: tamen illi ipsi labores reuera summè necessarij & magni faciendi sunt.* Nisi *enim instituatur & informetur tenera ætas in literis, mox sequutura erit uastitas* Ecclesiarum, *& omnia templa muta erunt.* Nam SCHOLAE OFFICINAE SVNT SPIRITVS SANCTI, *quæ suppeditãt* ECCLESIIS *personas idoneas, Apostolos, Euangelistas, Prophetas, id est, Concionatores, pastores, gubernatores* Ecclesiarũ: *præter quamquòd in omnibus alijs gradibus gubernationũ, per om*

nes

nes Imperij ordines in toto terrarum orbe opus est ingenijs ad subeunda uaria officia & munia uitæ: opus est ingenijs in curia, in Cancellaria, in aulis, cum adhibentur ad grauißimas deliberationes & consilia principum & regum. Horum *beneficijs iuuari politicam gubernationem, manifestißimum est.*

Præterea cum rector in schola est pius, modestus, frugi, & in officio aßiduus & diligens, cum pueros in uerbo Dei *& in uera fide erudit, ut sciant suas infantiles operas & studia* Deo *grata esse, ut textus, hymnos, cantica, precationum formas, quibus utuntur, intelligāt: cum assuefacit eos ut disciplinam ament, tunc scholæ (ut dixi) sunt quasi* Synodoles *cõuentus, sunt quasi* Concilia *infantilia continuò conseruanda opera et perpetua sedulitate gubernatorum: quòd multo utiliorem nauēt operam, quàm pleraq; generalia* Concilia.

Propterea laudabiliter & piè fecerunt Imperatores, Reges *& principes superioribus seculis, q̃ tanto studio, tanta liberalitate, tantis sumptibus et impensis tot scholas, magnas & paruas, tot monasteria, episcopatus, collegia fundarunt, hoc fine, ut procurarent* Ecclesiæ *suppetias, ut* Ecclesia *esset instructißima magna copia bonorū ingeniorum, quæ excolebantur liberali doctrina, ut in prōptu essent, quoties & quocunq; uocarentur.*

Postea

Postea recentior ætas oblita illius sapientißimi consilij, quadam incredibili uel ignauia uel inscitia has res omnes in tetros abusus conuertit. Talia exẽpla hac ætate debebãt imitari nostri principes & heroes. Reditus Monasteriorum debebant conferre ad Scholas, & ingenia fœlicia alere, & iuuare sua liberalitate in studijs. Et quanquam metuendum est, quòd nostra posteritas his rebus abusura sit: tamen nos nostris conscientijs consulamus, & quæ sunt nostri officij constanter & sedulò faciamus.

Summa: Scholas oportet esse semper uicinißimas templis, quod in ijs educantur concionatores & pastores, qui paulo pòst successuri sint in officio mortuis antecessoribus. Postea honesti ciuis ædes sint contiguæ Scholis, quod Scholas augeant & ornent ingenijs. Deinde collocentur curia et arx Principis, quæ curam gubernationis et defensionis debet ciuibus, ut in bona pace liberos educare: & ad Scholas remittere poßint: & uicißim Scholæ erudire ingenia profutura Ecclesiæ, & idonea officio pastorali: deniq; pastores rursus Ecclesias & filios Dei (siue ciues sint, siue Principes, siue Imperatores) ædificare atq; producere poßint.

Deum autem necesse est esse supremum & tutelare quasi numen, quod hunc circulum & hanc

coronam

coronam conseruet integram contra diabolos, hostes generis humani. Ipsum oportet præsentem et efficacem esse in omnibus uitæ gradibus, sicut re= uera est. Ipse enim sustentat uniuersam rerum na= turam, & singulas partes naturæ, singulas her= bas, singula gramina & folia arborum. Sic Psal mus 127 nominat duos gradus gubernationum, qui in hac uita sunt summi, Politiam & Oecono miam. sic enim inquit: Nisi Dominus ædificaue= rit domum, nisi Dominus custodierit ciuitatem.

Primum est Oeconomia, ex qua uelut ex palæ= stra prodeunt homines ad uarias & innumerabi= les functiones in uita. Alterum est administrare Politias, id est totas regiones, urbes, principes & dominatus, & omnes qui uocabulo politici ma= gistratus comprehenduntur: Domus congregat, ædificat & construit: Ciuitas custodit, tutatur & defendit. Postea accedit aliud tertium, uidelicet propria domus & ciuitas Dei. Hæc ex familijs seu Oeconomica gubernatione personas idoneas, ex Politica tutelam & defensionem accipit.

Hæ sunt tres Hierarchiæ diuinitus ordinatæ. Nec est opus plures fingere: quia satis superq́;, & plus quam satis onerum, laborum & miseriarum habebimus, ut hos tres gradus rectè administre= mus, nec languefiamus uarijs impedimentis, quæ Diabolus obijcit.

Tantum

Tantum aspicito unam mediocrem Oeconomiam, qua considerata uidebis, qui fluctus, quæ moles negotiorum se offerat. Hic parentibus, aut dominis erit obtemperandum. Rursus ibi liberi & familia cum pietate & honestate alenda, educanda & gubernanda est: ut satis esset molestiarũ ex domestica gubernatione singulis, etiam si alioqui in uita nihil esset faciendum. Postea nobis ciuitas, id est politica gubernatio etiam satis imponit onerum, si nos uera animi beneuolentia paremus magistratibus: & magistratus uicißim complectitur suos subditos, prouincias & Respublicas in æquitate & iusticia iudicat, & salutem earum uero cordis affectu quærit. Satis exercebit nos Diabolus uarijs difficultatibus & ærumnis: non est ut ipsi nobis accersamus labores non necessarios. Sentient singuli hanc Dei uocem ueram esse: In sudore uultus tui comedes panem tuum. Item: Terra pariet tibi tribulos & spinas. Profectò abundè satis est spinarum & aculeorum tum in familijs priuatis, tum in rebuspublicis, ubi multa agenda, & multo plura patienda, & magna arte ferenda & uincenda sunt.

Sequitur deinde tertium & postremum ius seu regimen, quod si gubernatur ope Spiritus sancti, uocat filius Dei consolatione plenum, dulce & leue onus. Si uerò est sine auxilio Spiritus sancti,

cti, non modò onerosum, difficile, terribile & triste, sed prorsus impoßibile est. Vt Paul. dicit Rom. 8. *Impoßibile legi, &c. et alibi, Litera mortificat.*

Quorsum iam opus erit, præter & extra has tres cœlestes & diuinas formas regiminū, extra hæc tria diuina, naturalia & politica iura illis te tris & execrabilibus præstigijs, quales cernuntur in illo ficticio & Satanico regimine Papæ, *quod uult esse omnia, & tamen nihil est: sed abducit & auellit nos ab illa salutari cōsideratione Sapientiæ diuinæ, quæ certos gradus uitæ & leges certas miranda bonitate sanxit, & uult nos gratis pectoribus hæc bona agnoscere.* Iam uerò *ut ne poßint agnosci,* Papa *obducit nobis laruam, aut cucullum rancidum, & uelatis uultibus tanquam in scena histrionum, miserabiliter nos ut fatuos uel* ἀγύρτας *circumducit, ac* Diabolo *deridendos propinat.*

Has sannas, has superbas & uirulentas derisiones & ludos Papæ, *posthac non feremus amplius: sed recollectis animis iuxta* S. Petri, Pauli, *Augustini doctrinam, categoricè & constanter renunciabimus ei hanc fœdam seruitutem, & retorquebimus in ipsos:* 2. Psalm. Dirrumpamus *uincula eorum, & reijciamus à nobis iugum ipsorum. Imò lætis animis et uultibus gratulabundi hymnos & tripudia plena uoce decantabimus, dicentes cū*

S. Pau-

S. Paulo: Si quis aliter docuerit, etiamsi sit angelus è coelo, anathema sit. Et uerbis S. Petri totam cohortem pontificiam interrogabimus: Quid tentatis Deum, impositione talis iugi? Et ita rursus imperium & supremam iurisdictionē uolumus habere cōtra Papam: & humi prostratum pedibus, ac strenuè & gnauiter proculcatum (ut Psalmo 91. dicitur, Super aspidem & basiliscum ambulabis) leonem & draconē pedibus proculcabimus. Et hoc faciemus iuuante & auxiliante benedicto semine mulieris, quod contriuit caput serpentis, & infinito robore cōterit adhuc quotidie: etiam si id nobis ferendū sit, ut nostros calcaneos remordeat. Illi benedicto semini mulieris laus sit, & gloria, unà cum Patre et Spiritu sancto, uero, uiuo, æterno & unico Deo, in secula: Amen.

FINIS.

RERVM HOC LIBELLO præcipuè memorabilium INDEX.

Conci-

Cornelius

y ecclesiæ

Máni-

Papa,

ſanctos

FINIS.